FRAN

32
37
224
9[illegible]
1184
17
1201

Hic nomen meum a,ono
quia librum scribere nollo si
nomen meum queris i ieri oculis
et videbis — — —

Antonius Casado
— — [illegible] —

Coreptus

Antonius Casado

Nunc sum Francisci
Mexia

Amogueramie

[illegible]

Antonio
Casado

# PATRIS FRANCISCI DE CASTRO GRANATENSIS E SOCIETATE IESV,

*Et in Hispalensi D. Hermenegildi Collegio primarij eloquentiæ professoris.*

De Arte Rhetorica.

## DIALOGI QVATVOR.

HISPALI.

*In typographia Frãcisci de Lyra*

*Anno* 1625.

## ERRATAS.

| *Quæ subrepsere* | | *menda sic* | *emenda.* |
|---|---|---|---|
| Pag. | Lin. | Dicit | Dicat. |
| 9 | 5 | Deus | Deos |
| 32 | 23 | cap.6. | epist.6. |
| 36 | 23 | effectus | effecta |
| 53 | 7 | subjectium | subjectum |
| 77 | 8 | Cæsarum | Cæsaris |
| 86 | 12 | honis | bonis |
| 120 | 8 | fanfam | famam |
| 146 | 23 | affret | afferet |
| 174 | 19 | brevius | brevis |
| 236 | 25 | gestis | gestu |
| 238 | 21 | levis | lenis |

## TASSA.

¶ Està tassado por los señores del Consejo a quatro maravedis el pliego. Su data en Madrid, año de 1615.

Secretario, *Martin de Segura.*

¶ Pi

*P. IACOBI MARTINEZ SOCIEtatis IESV, quondam in Bætico Seminario Rhetoricæ, Græcæ, Hæbraicæq; linguæ Doctoris, nunc in Hispalensi Collegio D. Ermenegildi Sacrarum litterarum professoris, de hisce Dialogis.*

## *Iudicium.*

PErlegi hos Dialogos, in quibus P. Franciscus de Castro, de arte benedicendi optimé disputat, opus quidé, cui vel Platonis, vel M. Tullij sæculum invideat. In quo acumen cum claritate, claritas cũ brevitate, brevitas cum exacta diligentia, diligentia cum suavitate, suavitas cum maiestate certat. At in hoc pacifico certamine mira concordia, rerumq; consensus, cui tantarum virtutum palmã deferas, vel Delius coniector dubitet. Ego sic censeo, cuivis laurum deferẽdam, opusq; hoc non modo chartis, verum, & cedro dignum. Prodeat in publicum, lucemque videat, imo ipsum lucem afferat. Nefas enim est occultari splendidissimum hoc sydus. Nullum meo iudicio huic par, & quod clarius, & sine aberrendi periculo viã eloquentiæ ostendat. Cordubæ Prid. Non. Nov. an. 1609.

*P. Mar-*

*P. Martini de Roa, ejusdem Societatis, utriusq; litteraturæ, cum humanæ olim, tum divinæ nuper doctoris, nunc Astigitani Collegij Rectoris.*

## *Approbatio.*

Legi hos quatuor de Arte Rhetorica Dialogus, autore P. Francisco de Castro è nostra Societate. Visi mihi docti, accuratiq; ad docendum apté, dilucideque ad discendum facilé, opportuneque conscripti. Ita breves, ut si detrahas verbum, desit; ita copiosi, ut si addas præceptum, supersit. Ob has, aliasque virtutes, quas intelligens, eruditusque obvias legendo habeas dignos censeo, qui evulgentur. Cordubæ in Collegio nostro D. Catherinæ Societatis Iesu: Novemb. die 4. Anno 1609.

*Martinus de Roa.*

## FACULTAS PROVINCIALIS.

EGO Franciscus de Quesada, Provincialis Societatis IESV in Provincia Bætica, pro data mihi ad hoc potestate à R. A. P. N. Præposito Generali Claudio Aquaviva, facultatem concedo, ut typis mandentur Dialogi quatuor de Arte Rhetorica Patris Francisci de Castro ejusdem Societatis: quos diligenter legerunt, examinarunt, & à probarunt viri docti, & eruditi Rhetores ejusdem Societatis; quibus hęc res commissa est. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & sigillo Societatis nostræ munitas dedimus, 14. Kal. Septemb. Anno Dni M.DC.X.

*Franciscus de Quesada.*

CEN-

## CENSVRA OPERIS.

Artis Rhetoricæ præcepta accuratè dilucidè, breviter exposita diu quæsierā: & ecce P. D. Frăciscus de Castro Societatis Iesu opus exegit, monumentum insigne peregit. Ejus quatuor Rhetoricæ Dialogos, magni senatus jussu, vidi, legi, & præ omnibus, quos hactenus vidi, elegi. Accurati sunt, dilucidi sunt, & quod mirabere, breves: absq; eo quod illos (quam timebat Horatiûs) deturpet obscuritas. Dum enim brevitatem sequitur autor, veritatem, & claritatem assequitur. Habent juvenes præcepta, senes monita, omnes lucem: quam libello huic aureo fas est permittant ij, quibus hoc injunctum, citissimè experturi fructus ubertimos. Madriti, pridie Kal. Octob. Anno 1610.

*Franciscus Sanctius Villanova.*
*Sacræ Theologiæ Doctor.*
*Regius Concionator.*

## PRIVILEGIO.

DIO Privilegio su Mageſtad, para q̃ ninguno imprima, o venda eſte libro, ſin licencia de ſu Autor, ſopena de cincuẽta mil maravedis, y perder los libros, moldes, &c. como conſta de ſu original, firmado de el Rey nueſtro Señor, y refrẽdado de Miguel de Ondarça Zavala, Eſcrivano de Camara. Fecha en S. Lorenço el Real, a diez y ſeys de Octubre de mil y ſeyſcientos y diez años.

*Por mandado del Rey N. Señor.*

*Iorge de Tovar.*

PRIN-

# PRINCIPI VIRO D. GARCIAE LASSO DE la Vega, Yncæ Petuano clarissimo, Duciq; Regio, P. Franciscus de Castro, Societatis Iesu, dedico, & consecro.

FVgiebat Elias, Vir clarissime, indomitam Iezabelis rabiem, & in desertissima populorum solitudine huc illuc pererrás, sub quadam juniperi umbra concedit, quæ illi Laño perfugium, & favor fuit: non ut lateret, sed ut ibi á venenatarum serpentum morsibus, (quæ in illo tractu scatebant plurimæ, atq; ubiq; juniperum aborrent) tutus conquiesceret. Fugiebam & ego, in desertissima Rhetorum multitudine, non gratissimum eruditorum hominum judiciũ (id enim quæsivi semper, valdeq; dilexi) sed gravissimum ineruditorum judicium, quod ut evitarem, ad tuam unius umbram cõfugi, quippe qui quasi juniperus, id est, refugium,

favor,& gratia,(quæ omnia Garsia etiam significat) cuilibet LASSO præsens ades, non ut aliquē vanitatis folijs obumbres, non ut spei falsæ floribus delectes: his enim juniperus caret: sed ut omnes odore virtutum fragrantissimo reficias, fructu sustentes, robore defendas. Quod eo melius, ac diutius præstabis, quo altius fixas in utroq; orbe radices habes, & illas quidem illustrissimas. Qua enim parte Indus es, succū ex regia stirpe traxisti: Mater namq; tua lectissima fæmina ELISABET PALLA, regis HVAYNACAPAC, qui opulētissima Peruana imperia ultimus æquo jure possedit, ex fratre suo germano Ynca HVALPA TOPAC, neptis fuit amantissima. Qua Hispanus es, illustriores Hispaniæ arbores Duces videlicet ab Infantado, de Feria, alios, Marchiones, comites, regiaq; germina propinqua cognatione fœlix attingis. Et licet Indicæ rupes, desertaq; tellus te quasi juniperū genuerit, Denudans folijs ramos, & cortice truncum: Hispania te, GARCIA LASSO, in cultissimum agrum, campumque frugiferum transferens DE LA VEGA meritissime nuncupavit. Vbi non solum pro folijs mores Yncarum antiquos, qui te prudenter, justè, fortiter, ac temperatè operari jubent,

bent, ſed religionem, ſed pietatem, ſed modeſtiam, & urbanitatem omnibus æmulandas producis. pro floribus cæterarum virtutum odores afflas: pro cortice libros edis jucũda rerum varietate diſtinctos, multiplici eruditione refertos, ſuavi, & concinno ſtylo limatos, quales ſunt LEO ille HAEBREVS, ferox quondam, & intractabilis; nunc verò ex Italia in Hiſpaniam per te traductus ita mittis, & manſuetus, ut omnium manibus cupidiſſimè tractetur. HISTORIA illa, ut re, ſic nomine FLORIDA, quæ florenti ſtyli flore in hiſtoriarum viridarijs ita floret, ut à doctis, & indoctis legatur, celebretur, atque teratur, REGIA item COMMENTARIA, quorum prima pars, quæ de Yncarum majorum tuorũ imperio, Idololatria, legibus, republica, & moribus tractat, jam lucem videt, eãdemq; multis tam divinis, quàm humanis rebus, & lõge clariorem affert. Altera, quæ res utrinq; præclarè geſtas, flagitioſè, ac turpiter factas, inopinatos bellorum exitus, dolores caſuũ acerbos, iras victorum implacabiles, metus communes, lætitias privatas, ſpes hominum fallaces, admirationes, cupiditates, & expectationes à primo in illum orbem Hiſpanorum ingreſſu, uſq; ad noſtram ætatem continet, pro-

 pediem

pediem evulgabitur, ubi omnia tam notabili exitu terminātur, tamq; vivis veritatis coloribus exprimuntur, ut maxima jucundissimę lectionis voluptate lectoris animus expleatur. Iam veró pro fructibus quid effers? quid offers? Omnia Christiano, & principi viro digna opera, quibus infimos, medios, summos, allicis, beneficijsque devincis: me præsertim, Societatemque nostram, qui multis in rebus hæc omnia, multaq; alia esse verissima experimento didicimus. Quapropter cum exoptemus, ut sub tātæ arboris umbra nostræ Rhethoricæ campi studiosè collantur: eloquētiæ flores rideant, ingenij flumina perennent: & styli fructus multiplicentur: æquum fuit, ut in hujus operis initio hanc juniperum plantaremus, quæ vel odore solum venanatas Zoilorum linguas, morsusque viperinos perfacilé repellat, dū ego sub talis arboris umbra prostratus securus conquiesco; & in cujus ramis, inter perspicaces aquilas, lusciniasq; dulcissimas, (quæ benè te norunt, celebrant, & canēt) libellus hic, cum illis colatus quasi noctua cæcutiens, & garrulus psitacus, si minus acuté videt, nec modulatè canit, te certé suspiciet, minimumq; semper, ubiq; dicet Salve, & Vale.

P.RO-

# P. RODERICI DE FIGUEROA Societatis Iesu, & sacræ Theologiæ professoris, ad Lectorem.

## EPIGRAMMA.

ELoquij quondam Graij, latijq́, fluenta
  Fuderat é scatebra fons saliente tri, lex.
Græcia dat primũ, dat Martia terra secundũ,
  Prodit ab extrema tertius Hesperia.
Emathio erumpẽs Stagire de vertice primus
  Attica facundis arua perennat aquis.
Alter ab Arpini derivat origine linguæ
  Flumen in Ausonij Rostra, forumq́ue soli.
Postremus, Calaguri, tuis fluit uber ab oris;
  Hisce madet lymphis ora disertus Iber,
Sed quia distractis fõs est minus utilis undis
  Quæq; parũ prosunt singula, cũcta juvãt;
Castello hoc Castro divortia cogit aquarum:
  Huc Stagira, huc Arpinũ huc Calaguris eũt
Hinc bibet eloquiũ Cecrops, Romanus, Iber*
  Vna fluit terni fluminis unda tribus.

P. PE-

## *P. PETRI MANIONII, Societatis IESV, Theologi, & in Bætico Seminario eloquentiæ, Græcæque linguæ Doctoris.*

### EPIGRAMMA ECHOICVM.

NYmpha, datas voces, quæ justo fænore reddis,
Qua beat Illiberim Singilis uber aquis;
Núc quoq; justa meis verbis resonato. Sonato
Nunc opus est majus quid repedare. Dare
Dic, liber hic Castri est? Astri est, qui nomine Martis?
Artis, & hanc socia Mars face linit? Init.
An Comes adspectu triquetro Cyllenius ignis
Is. Quid nam sibi vult hæc facies? acies.
Vtrum sanguineas acies, acies ne Sophorũ?
Horum. Ars præ se fert ingeniũ. Genium.
Ars victrix, Ictrix. At quos ferit ars nova Martes?
Artes, quas tulerat ferreus annus? anus.
His victis, Suadæ revirescent sæcula laurea?
Aurea. Qui hæc posset Mars nisi liber? Iber
Vive liber, liber, Mars, Ars, Cyllenie Caster,
Aster, Suada redux, dux, ter Io, ter Io.

D.D.

## D. D. LVDOVICI DE Gongora, & Argote V. C. & omnium poetarum Hispanorum facilè principis, ad Autorem.

## EPIGRAMMA.

SI orator nostro meruisset tēporē Graius,
Arpinasvè fori dulcis in arte, frui.
Doctior hic foret, elloquioq; potentior ille,
Si altisonū hūc fontem Rhetoricę biberét.
In tot qui fluvios, culto est sermone solutus
In tua quot libros ars dedit eximia.
Fusam ex diffusis, vivamq; canalibus undam
Exiguum, ó Castro, contrahis in spacium.
Destruat ó nūquā hoc opus invidiosa vetustas
Consumat nullo tempore tempus edax.
Quod facis, ut linguæ, ut calami, redimitus oliva,
Dicant, & scribant Nectar, & Ambrosiam.

Idem*

# IDEM EIVSDEM DE *eodem Hispanè.*

## SONETO.

SI ya el Griego orador, la edad presente,
O el de Arpinas, dulcissimo abogado,
Merecieran gozar, mas enseñado
Este quedàra, aquel mas eloquente:

Del bien dezir, beviendo en la alta fuente,
Que en tantos rios oy se à desatado,
Quantos en culto estylo nos à dado
Libros, vuestra Rhetorica excelente.

Vos reducis, ò Castro, a breve suma
El difuso canal desta agua viva;
Trabajo tal el tiempo no consuma:

Pues de laurel ceñido, y sacra oliva,
Hazeys a cada lengua, a cada pluma,
Que hable nectar, y ambrosia escriva.

D.D.

## D. D. FRANCISCVS FERdinandez de Cordova. V. C. Philologus, Theologus, & I. V. C. ad Musas.

Linquite nō estis vos rustica numina, mōtē
O Heliconiades lumina Rhetoricæ.
Vrbanæ properate sacrā jam cingere frontē,
Cujus ope illustris singilis unda fluit.
Romæ olim celebris, celebris quoq; Rhetor Athenis
Iam jam ætatis erit fabula uterq; suæ.
Nam facile hæc reliquis nova fert facundia palmam
Quam vetus ut vidit, cessit, & erubuit.
Clarior arte viros dux, qua Polyhymnia ducit
Castro ad castra vocat, dexter, & armaciet.
Arma ex famæ alis docili deducta juventæ
Arma, quibus doceat, concitet, afficiat.

DOC-

## *DOCTORIS D. LUDOvici Venegas de Figueroa, V.C. & I.V.C. in autoris, doctorisq; sui cōmendationem ad Lectorem.*

EPIGRAMMA.

O Tu, qui eloquij eximij dulcisima queris
Advena, melifluis condita verba favis,
Qui Grai, & Latij sermonis utrūq; parentem
Ipsorum invisens limina grata, colis.
Siste gradū errātē, æquales, hoc munere, fines
Castro tuo hinc studio; jam dedit, inde viæ
Castro adeo insignis, famam qui terminat astris.
Divinusq; ferit vertice claustra Poli.
Rhetorica ex quantis depinxit floribus artes
Is facit, ut longas, sic breve nectar, opes.
Hoc fallat limphas, invito tempore, Lethes,
Hoc ævi, hoc voti maxima vincat opus.

DE

# AVTORIS AD LECTOREM
## PROOEMIVM.

DVO sunt, lector amice, quibus homines à belluis maximè discernimur, Ratio, & Oratio: illa veris, hæc verbis illustratur. Sed cum Rationis cæcitas, & Orationis ignoratio, terris per superbiam, & ignaviā introductæ, infinita penè mala, in hominum perniciem, latè dissem inassent: præstans illa, æternaque natura, cuius numini sanctissimo cuncta parent, primū è cælo in terrarū sola Mercurium, idest, sermonem accuratum, & exquisitum immisit: qui homines, á fera, & agresti vita, ad humanum cultum, civilemque vivendi morem, deduceret. Post, Empedoclis mentem, afflatu suo, Deus ipse concitavit, ut notionem implicatam evolvens, benedicendi peritiam, ad normam quandam, facilè redigeret. Deinde Gorgiam, Protagoram, Corácem, Tysiam, & alios evexit, qui Rhetoricā, ex Dialecticā, Politica, juris prudentia, & sermone culto copiosoq; conflarēt, ut Rhetores de jure, vel injuria disceptantes, à falsis vera distinguentes, ac de rebus publi-

 cis

cis tractantes haberent in arte sua, quibus rationem dirigerent, & orationem exornarent. Tum Aristoteli, Ciceroni, Quintiliano, & alijs multis hanc mentem injecit, ut veteres huius artis scriptores, usq; á primo eius inventore Empedocle repetitos, in unum conducerent, eorumq; præcepta conscripta, aucta, & enodata diligenter exponerent, quibus rationẽ, & orationem dirigerent, & religionis nostræ ingeniosos, atq; solertes viros ita docerent, ut ferratas in impios hastas, non solũ rationis nervis, sed orationis amentis, contorquerẽt: eorum ferocitatem comprimerent: audaciam frangerent: loquacitatem retardarent: & pios in officio continerent. Quod quidem mirè fecerunt Græci, & Latini nascentis, & adultæ jam Ecclesiæ Doctores Chrysostomi, Basilij, Nazianzeni, Hieronymi, Augustini, Cypriani, Lactantij, grandi, forti, & incitata oratione exardescentes, ita ut falsa refellerent, vera cõfirmarent, turpia reprehenderent, honesta cõmendarent, ac tandem audiẽtium animos ad quemcunq; motum impellerẽt: donec limata, & perpolita disputandi ratione, atq; orationis acumine armata veritas eisdem armis munitam falsitatem vicit, & jugulavit. Vnde summa pax, summaq; tranquilitas Christianis

ob orta

oborta est: & inde securitas iners, quæ arma hæc rubigine obduci, rationis aciem securitate hebetari, industriam otio languescere, linguam cessatione torpere, atq; artem hanc nobilissimam ita retũdi passa est, ut eius quasi effetæ vires non modo succum ac sanguinẽ, sed etiam colorem, & speciem, cum linguæ puritate, magnam partem amiserint. Quam, ut in pristinam faciem restituerent, multi viri docti Rhetorices præcepta, quam accuratissimè scripserunt; sed alij brevius; alij copiosus, quam discentibus æquum est: & qui aptius ad gymnasia nostra præcepisse videntur, partim multi, partim nulli à docentibus crebró inveniuntur. Quapropter ex antiquissimis, & copiosissimis eloquẽtiæ principibus Græcis, & Latinis, atq; recentioribus, & quasi minorum gentium Rhetoribus; ego apis Matinæ more, modoq; grata carpentis thyma, per laborem jucundum, parvus, nec minimis conferendus, flosculos carpsi, favumq; finxi, apum an vesparum, tu videris, cum resignaveris. Si vesparum, ut inanem procul abijce: si apum, ut dulcem gutturiq; gratum cape, suge, ac regusta: ut oculi tuæ rationis illuminentur, & melle dulcior tua fluat oratio;

## OPERIS DISTRIBVTIO.

VT autem hoc munus sic avidè arripias, quasi diuturnam famē explere cupiens, scito in primo dialogo agi de inventione: ubi de Rhetoris officio, fine, materia, instrumentis: de Thesi, & Hypothesi, de tribus causarū generibus, ac de constitutionibus legitimis, & rationalibus, unde ad laudandum, & vituperandum, suadendum, & dissuadendum, accusandum, & defendendum, rationi materies præbetur uberrima: item de locis Topicis, unde divisiones, definitiones, & argumentationes, & argumenta insita, & assumpta eruūtur, ad fidem faciendam, & orationem amplificādam. In secundo, de Dispositione partium orationis Rhetoricæ, de argumentorum varietate, ac vi, quibus rationis operationes diriguntur, causę confirmantur, refelluntur, amplificantur, & affectus moventur. In tertio, de Eloquutione artis Rhetoricæ parte potissima, ubi de verbis simplicibus, & cōpositis, Tropis, figuris, exornationibus, & concinnitate, de dilucida oratione, collocatione, & ordine verborum, iunctura dictionum, de stylo numeroso, ac de tribus dicendi generibus tenui, medio, & gravi, quibus orator docet, dele-

delectat,& movet. In quarto,de memoria tã naturali,quam artificiosa, ubi de impedimẽtis,ac remedijs,quæ illam imminuunt, & augent,de locis,imaginibus,& ordine, quæ hãc artificiose iuvant,& mirabilem efficiunt. Itẽ de pronunciatione,hoc est, De vocis,vultus, & gestus moderatione, ac varietate venusta, & necessaria. Quæ omnia ita breviter tractãda,ut,si unum verbum detraheres,ad sensum integrũ omnino deesse videretur;ita copiosè præcipienda,ut nihil eorum,quę longis voluminibus cęteri tradunt,prętermitterem,tanquam scopum mihi proposui,quem si non attigi,at certè collineavi.Sed ut hic meus qualiscumque labor gratior,ac utilior sit,Magistrum induco discipulos percunctantem de omnibus,quæ in aula Gymnasij, de ratione dicendi,ab eo studiosè acceperant:quod,Platonis,Aristotelis, & Tullij imitatione ductus,eo animo feci, ut quilibet magister suos discipulos jam à se bene instructos percunctetur, & ipsi inter se,ultrò, citroq; habitis interrogationibus,exerceantur;quas ita leviter pressas disposui,ut ipsis facilè subiatis,quasi continens oratio libere fluat. In capita item hos meos dialogos divisi, ut suos Gregorius ille Magnus, ne longa rerum continuatio legentibus

tibus esset offensio. Accipe igitur libenter, quod offero: pervoluta studiosé, quod præcipio: rationem prudenter dirige: orationem copiosé illustra, ut cæteris hominibus præstes, in quo ipsi reliquis animantibus antecellunt: elige tibi diligenter variam rerum, & sententiarum suppellectilem: aude animosé ac tenta, quid scribendo, aut dicendo possis, ut tandem fœliciter efficias, quod ipse opto, & fore non diffido, ut (ab eo adjutus, qui cótinet omnia, scientiam habet vocis, & linguas infantium facit disertas) eminus styli hasta, vel cominus verbi gladio, furentum hominũ (qui omnia divina, & humana jura perturbant, violant, rescindunt) conatus, & audaciã comprimas: hos à vitijs deterreas: illos ad virtutes inflammes: Dei causæ opitulerìs, ac tandem Christianæ religionis ornamentum existas.

(:§:)

DE

# DE ARTE RHETORICA

## DIALOGVS PRIMVS.

### *Quid ſit Rhetorica, quibus rebus comparetur, quid ejus officium, materia, & inſtrumenta.*

## CAPVT PRIMVM.

*MAGISTER.* *DISCIPVLVS.*

M. QVID eſt Rhetorica? D. Eloquentiæ ars, Benedicendi doctrina, vel Copioſè loquens ſapientia. M. Quibus rebus comparatur? D. Quatuor, Natura, Arte, Imitatione, & Exercitatione. M. Quid pro natura intelligis? D. Ea, quæ cum homine ipſo naſcuntur, Ingenium oratorium acre, & acutum, neceſſariam linguæ ſolutio-

nem, sonum vocis dulcissimum, & plenum, venustum corporis motum, vires, ac dignitatē: quæ omnia facilé artis præceptis politiora efficiūtur. M. Quid est ars? D. Facultas, quæ certas rationes, & præcepta faciendi aliquid ordinaté præbet. Cuius regulis imbuti, eius per fectionem, sine solicita imitatione, assequi nō valebimus. M. Quid est imitatio? D. Aemulatio, qua impellimur, ut, cum diligēti ratione, aliquorum similes in dicendo esse videamur. M. Quotuplex est? D. Triplex, una orationis, cum res nostro Marte excogitatas verbis alienis illustramus. Hujus imitationis exēpla varia invenies in Catechismo Maronianis carminibus expresso, per P. Aegidium Bavariū é Societate nostra, & in Probę Falconię fæminæ clarissimæ Virgiliocētonibus, qui in septimo Bibliothecę Patrum habentur. Altera est imitatio rerum, cum ea, quæ ab alijs mutuamur, multo clariora nostris verbis reddimus, aliarumq; rerum jucundiori varietate aspersa, & suaviori venustatis colore diffusa ita efficimus, ut non minor in exornatione laus, quam in inventione sedulitas elucescat. Extat huius imitationis exemplū apud Virgilium ab omnibus æmulandum, qui 1. Aeneidos libro Didonem cum Diana comparat, sic:

Qualis

*Qualis in Eurotæ ripis, aut per juga Cinthi*
*Exercet Diana choros: quam mille sequutæ*
*Hinc atq; hinc glomerantur Oreades: illa pharetram*
*Fert humeris, gradiensq; Deus super eminet omnes*
*Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus*

In quarto vero libro Aeneam cũ Apolline confert æmulãs, quæ ipse in primo scripsit, sic
*Qualis, ubi Hybernam Lyciam, Xanthiq; flaěta*
*Deserit, ac Delum maternam invisit Apollo,*
*Instauratq; choros, mistiq; altaria circum*
*Cretesq; Driopesq; fremunt, pictiq; Agatyrsi.*
*Ipse jugis Cynthi graditur, molliq; fluentem*
*Fronde premit crinẽ fingens, atq; implicat auro.*
*Tela sonant humeris. Haud illo segnior ibat*
*Aeneas: tantum egregio decus enitet ore.*

Disce ex his autores æmulari. Hic Apollo pulcherrimus, ibi Diana soror pulcherrima describitur. Hic Apollo per Xanthi fluenta, ibi Diana per Eurotæ ripas vagatur, & uterq; per juga Cynthi. Hic graditur, & illa graditur: hic choros instaurat, & illa choros exercet: hũc Cretes, Dryopes, Agathyrsi, illam Oreades mille sequuntur. Circa hunc miscentur, circa illam glomerantur, huic tela sonant, illi faretra: hic gaudens Delũ maternã, invisit, illa matris pect⁹ gaudio pertentat, cũ hoc denıq;

Aeneas,cũ illa Dido cõparatur. Hęc tamẽ dif ferẽtia, quod imitatio multo clarior, & iucũdior apparet. Tertia est, nec orationis, nec rerũ: cũ, instar apũ, ex diversis autorũ floribus, non ipsos flores exprimimus, sed aliud valde diversum, phrasi, laborẽ, atq; exercitatione nostra, quasi mel dulcissimum, coagmentamus. Præclarũ habes præmanibus huius imitationis exemplar, quod modo attuli, ex Homero, ita expressum, ut nimiũ perspicax assequi vix posit. Versus hi sunt ex Il. octava.

*Sic fatus, currui adaptavit æripedes æquos celeres, aureis jubis comantes,*
*Aurum autem ipse induit circa corpus: accepit autem scuticam (dit currum:*
*Auream, artificiosè factam, suum vero ascen-*
*Verberavit autem, ut impelleret: hi autẽ non inviti volarunt,*
*Per medium terræq; & cæli stellati.*

M. Dubito, an Virgilius hos Homeri versus ad imitandos respexerit, in allato exemplari.

D. Vide, ut conferantur. Homerus in re bellica, bellico apparatu Iovem equis, curru, scutica, auro circa corpus ornat; Virgilius in cõparatione, quæ ad pacem spectat, Apollinem fronde, auro, choris ministrorũ exornat. Tendit Iupiter in Idam, Phæbus in Delũ, hic Lyciam,

tiam, ille cælum deserit: hic per terram graditur, ille per aëra volat: hic per loca sibi sacra, ille per mediũ cæli, & terræ suæ ditionis terminum. Sic didici rem alienam assidua exercitatione imitari. M. Quid est exercitatio? D. Consuetudo exercẽdi styli, juxta artis præcepta, quæ intelligendi acuit prudentiam, & eloquendi celeritatem incitat. Quare caput est, in hoc se exercendo, quam plurimum scribere, quia styli exercitatio, ut præstantissima dicendi effectrix, ac magistra, ab omnibus habetur. Natura namq; in hoc eloquentię cãpo, quasi sementem facit: ars eandem herbescentem, & luxuriantem irrigat, & coercet: imitatio messi maturitatem affert: ac deniq; styli exercitatio lætos, & uberes fructus percipit. M. Quæ sunt in Rhetore considerãda? D. Officium, finis, materia, & instrumenta. M. Quod est officium? D. Dicere ad persuadendum, ita accõmodatè, ut doceat, moveat, delectet. M. Quis finis? D. Persuadere dictione. M. Quæ materia? D. Res omnes, quæ dicẽdo exornari possunt. M. Quæ instrumenta? D. Quinq; Rhetoricę partes, Inventio, Dispositio, Eloquutio, Memoria, & Pronunciatio. Opere namq; pretium est invenire, quę dicas, inventa disponere, disposita exornare, exornata

nata memoriæ mandare, mandata deniq; pronunciare.

*Quid sit inventio, quid Thesis, quid Hypothesis, & quot causarum genera.*

*Cap. II.*

M. QVid est inventio? D. Excogitatio rerum, aut verarum, aut verisimilium, quibus Thesim, vel Hypothesim evidentem, aut certé probabilem reddit Orator, & animorum affectus, jam ad hoc, jam ad illud cõcitat, & impellit. M. Quid est Thesis? D. Quæstio infinita, locus communis, consultatio, vel propositum: & efficitur, cum de aliqua re generatim quæritur, remotis personis, temporibus, locis, cæterisq; id genus, ut an sit administranda resp. bellum gerendum, perdiscẽdæ artes, insidiator jure interficiendus. Quæ quã vis á Philosophis proprié tractentur, ab Oratoribus in actionem produci solent, ut inde ad Hypothesim veniatur. M. Quid est Hypothesis? D. Quæstio definita, causa, vel controversia, quæ cum personarum, locorum, vel tẽporum designatione profertur, ut an sit hæc resp. à tali, vel tali viro administranda; bellũ Mitridaticum Romanis suscipiendum; Rhetorica ingenioso, & patritio adolescenti perdiscenda; Clodius insidiator à Milone interficiendus

ficiendus. M. Quot sunt Thesis,& Hypothesis,vel causarum genera? D.Tria,primum demonstrativum,epidicticon, laudativũ,vel laudatio.Secundum,Deliberativum,Symboyleuticon, suasorium,vel sententiæ dictio.Tertiũ, judiciale,vel Decanicon.

*De genere demonstrativo , ac de tribus bonorum generibus. Cap. III.*

M. Quid est genus demonstrativum. D. Orationis exornatio,quę laudes,vel vituperationes cõtinet, ut illa Ciceronis pro. M. Marcello,& secunda Philipica. Ad quod genus referuntur gratiarum actiones, & orationes tam funebres,quam nuptiales,artes,& historiæ. M.Quotuplex est laudatio,vel vituperatio? D. Multiplex,genus enim hoc tam latè patet,ut nihil sit divinarũ,humanarumq; rerum,quod non complectatur: sed in eo per sonæ,urbes, & artes frequentissimé laudibus efferuntur. M.Quæ res personam cõmendát? D. Bona fortunæ,corporis,& animi. M.Quæ sunt bona fortunæ? D. Natio, patria, genus, majores,parentes, cognati,affines, nativitas, & ex ea totius populi exorta lætitia , res miræ,si quæ fuerint, educatores,magistri, opes, divitiæ,honores,amici.

M.Bona

M. Bona corporis? D. Egregia totius corporis forma, prospera valetudo, nervorum robur, oris dignitas, sensuum sagacitas, expedita linguę celeritas, sermonis facilitas, pedum velocitas, manuum agilitas. M. Bona animi? D. Ingenij acumen, memoriæ firmitas, naturæ docilitas, virtutis indoles, & quæ labore, ac diligentia comparantur, ut Prudētia, Iustitia, Fortitudo, & Temperantia.

*Quæ virtutes, sub quatuor Cardinalibus, ad laudandas personas, contineantur.*
*Cap. IIII.*

M. IN prudentia, quæ virtutes numerantur? D. Memoria præteritorum, intelligētia præsentium, providentia futurorum, artes liberales, disciplinæ omnes, inventa, dicta, & facta prudenter. M. In iustitia, quæ recensentur? D. Pietas in Deum, patriam, & parentes; probitas in summos, medios, & infimos: in legibus interpretandis æquitas, in audiendis causis sedulitas, & in satisfaciendo clientibus lenitas. M. In fortitudine, quæ referuntur? D. Labor in negotijs, animi magnitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, rei militaris scientia, & usus; victoriæ partæ,

partæ, triumphi relati, hostes cæsi, urbes captæ, ac trophæa. M. In temperantia, quæ accõmodantur? D. Continentia, quæ cupiditates consilio regit: clementia, quæ animum temere in alicujus odium concitatum retinet, atq; ad bene de omnibus merendum comiter, & humaniter impellit: modestia, quæ honesto pudore autoritatem comparat, & omnia, quę aguntur loco suo collocat: verecundia, urbanitas, parsimonia, dicta, & facta temperatè: ac tãdem illæ virtutes Theologales, Fides, Spes, Charitas, & opera, quæ ab eis proficiscũtur.

### *Laudandæ personæ modi.*
### *Cap. V.*

*M.* HAEC omnia sunt in cujusuis personæ laudem transferenda? D. Nullo modo, sed ea tantum eligenda, quæ scitu digniora videbuntur, & in tria tempora distribuentur, ante vitam, in vita, & post vitam. Ante vitam persona commendatur à Natione, & patria: multum enim refert sit ne.

*Colcus, an Assyrius, Thebis nutritus, an Argis.*

A genere, maioribus, cognatis, & parentibus, quod eorum claritati responderit, vel obscuritatem illustraverit. Vita in quatuor ætates pueritiam, adolescentiam, virilem ætatem, &

sene-

senectutem dividatur, quibus illa fortunæ, corporis,& animi bona,quæ persona laudanda in singulis habuit, accommodentur: ea tamē lege,ut fortunæ, corporisq; fluxa,& prorsus caduca bona ad virtutem referantur. Nemo enim iusté laudatur, quod divitijs,honoribus,stemmatis,atq; opibus affluat;sed quod sit inter divitias virtutibus ditior, inter opes comitate potentior, inter honores facilitate honoratior, inter varia nobilitatis stemmata proprijs ornamentis nobilior. Post vitā,mors pia,& vitæ consentanea,funus,opinio de suis virtutibus concitata, monimenta, sepulchrū, & epitaphia commemorentur. Poterit etiam, relicta totius vitæ serie,persona laudari à virtutibus præcipuis, quibus floruit, vel collatione facta,cum alijs comparari. Id quod Cicero mirificè pro M. Marcelo,& pro lege Manilia fecit.

*Quomodo urbes,& artes laudentur.*

*Cap. VI.*

M. A Quibus rebus urbes laudari solent?

D. Ab eis,quæ illas cæteris illustriores reddunt,pręsertim à situ,ab aëris salubritate, Cæliq; temperie, à conditore, ab antiquitate, á fructuum abundantia, ab agrorum fertilitate, á reip. ordine, à senatus amplitudine,

dine, á populi frequentia, à religionis studio, á templis, & eorum ministris, á pauperum domicilijs, à religiosorum, & illustrium virorum familijs, à virginum cænobijs, ab studiorum gymnasijs, à civium ingenijs, virtute bellica, concordia, & urbanitate, ab ædificiorum frequẽtia, magnitudine, ac forma, á plateis, fontibus, & amnibus inclitis, à menibus, propugnaculis, turribus, & portis, ac deniq; à suburbanis agris, & hortis irriguis, ubi multiplex arborum genus, florum varietas, pomorum ubertas, parietũ vestitus, avicularum melos, valium amęnitas; & stagna omnis generis piscibus abundantia commemorari possunt. M. Vnde artes laudantur? D. Ab origine antiquisima, ab inventoribus, & amplificatoribus, à materia, & fine, ab eo, quód sint liberales, honestæ, utiles, faciles, honorificæ, jucundæ, ac necessariæ. Quæ omnia numeroso dicendi stylo, egregio sermonis acumine, gravi sententiarum pondere, atq; omnibus eloquẽtiæ luminibus illustrari debet, ut Orator his, ac rebus novis, magnis, admirabilib⁹, magnificis, præclaris, ac liberalibus admirationem, plausum, & stuporẽ excitet. In genere autem Deliberativo non itẽ, sed verborum lenitas sententijs, quã floribus ornatior adhibebitur.

*Quid sit genus deliberativum, quæ in eo expectẽtur, ac in suasoris persona.*
*Cap. VII.*

M. QVid est genus deliberativum? D. Cõtroversia dubia de aliqua re futura, in deliberantis potestate sita, rationibus, & argumentis agitanda: & fit cum suadere, vel dissuadere aliquid conamur, ut Cicero pro lege Manilia, in Antonium, & Catilinam. Ad quod etiam genus consolationes, exhortationes, conciones, petitiones, & commendationes deducuntur. M. Quæ sunt in hoc genere expectanda? D. Suasoris persona, suadendi modus, deliberationis materia, & quæstiones. M. Quid in suasoris persona requiritur? D. Vita inculpabilis, & eruditio mira, cujus actiones magis admireris, cum videris, quam ejus rationes, cum audieris; aut certè opinio benevolentiæ, qua deliberanti consulet; prudentiæ, qua probabit; probitatis, qua persuadebit. Quare benevolentiam erga consulentem suam apertè ostendet; unde probitatis existimationẽ sibi comparabit: & prudentiam, si senex fuerit, multo rerum usu; si juvenis, non ingenio, sed labore, senumq; cõsilio sibi paratam haud obscurè demõstrabit. M. Quomodo suadebit Orator?

tor? D. Familiari apertè, inferiori humaniter, ignoto circunspectè, principi reverenter, senatui modestè, docto peritè, ingenioso acutè, hæbeti planè, filijs, discipulis, vel subditis liberè, populo benignè, nisi cum res asperitatem exigat. Quibus in omnibus contumeliæ, infamiæ, ac dedecoris accepti, vel accipiendi cõmemoratione, aut animos addet, aut metum incutiet; atq; dignitatis, honoris, & utilitatis spem firmissimam proponens, imperitos præcipuè utilitate, nobiles dignitate, bonos honestate, ad suam sententiam facilè adducet, si nihil contumeliosè, superbè, cupidè, temerè, aut insolenter cum aliqua deliberantium offensione dixerit. Insolens enim verbum in qualibet oratione, ne dum in suasione, non aliter, atq; scopulus in mari, vitandũ est.

*Deliberatio unde sumatur, & quid, in omni consultatione quærendum.*
*Cap. VIII.*

M. DE quibus rebus deliberatio suscipi solet? D. De bonis per se, vel propter aliud expetendis, in quibus honestas cum utilitate, vel voluptate certat. v.g. si Fabricius, dimidia Epyri regni parte sibi oblata, ut à

Romanis ad Pyrrhū deficiat, deliberet, quod illum hinc honestas alliciat, inde utilitas abducat: vel si Hercules adolescens duas cernés vias, unam voluptatis, alteram virtutis, utram ingredi melius esset, diu secum, multumque dubitaret. M. Quæ sunt bona per se? D. Quæ necessaria habentur, & omni detracta commoditate, maximé sunt laudabilia, & expetenda: ut vita, libertas, pudicitia, & animi bona. M. Quæ sunt bona propter aliud? D. Quæ partim honestate ipsa, ut honor, & gloria; partim commoditate aliqua, ut cætera corporis, & fortunæ bona, expetuntur: unde quid sit bonum necessarium, quid honestum, quid utile cognosces. M. Quæ sunt in omne consultatione quærenda? D. Quatuor, primum, An id de quo deliberatur, sit possibile, alioqui frustra cætera probarentur: Secundum, An facile fieri possit, nam quæ perdifficilia sunt perinde habentur, ac si effici nó possint: Tertium, An sit honestū, quod vi sua, & dignitate ad sese allicit: Quartum, An sit necessarium, vel certè magnum, quod enim per magni interest pro necessario habetur. Hæc cum probata fuerint, idem esse utile, jucundum, & tutum adjiciemus, facta variarum rerum utilium, & honestarū collatione, quòd de-

deliberatio nihil aliud eſt, quam rerum magis expetendarum, vel fugiendarum comparatio. M. Hæc omnia ſunt in qualibet conſultatione tractanda? D. Non, ſed nunc duo, nunc tria, vel quatuor, quæ maximé ad rem probandam pertinere videbuntur: ut Cicero Philip. 7. *Pacem* (inquit) *cum M. Antonio eſſe nolo, quia turpis eſt, quia periculoſa, quia eſſe nõ poteſt.*

*Quid ſit genus judiciale, quot quæſtiones, & conſtitutiones legitimæ.*

*Cap. IX.*

M. QVid eſt genus judiciale? D. Cauſa, in qua eſt actor, & reus, & continet accuſationem, vel defenſionem, in judicijs: cujus genera ſunt Actiones in Verrem, pro Milone, pro Roſcio, &c. & ſub quo reprehenſiones, excuſationes, & deprecationes continentur. M. Hujus generis quæſtiones quot ſunt? D. Hujus, & cæterorũ tres, An ſit, Quid ſit, & Quale ſit. Quibus reſpondent totidem conſtitutiones legitimæ: & totidem rationales. M. Quæ ſunt legitimæ? D. Quæ ex aliquo ſcripti genere naſcuntur, ut amphibologia, ſcriptum, & ſententia, legum contradictio.

M. Quid est amphibologia? D. Scripti ambiguitas, quę varijs modis efficitur, ut alibi tradimus. M. Quid est scriptum, & sententia? D. Cum alter scripto, alter mente legislatoris innititur. v. g. lex est, Peregrinus, si murum ascē derit, puniatur: ascendit, ut hostes dejiceret, dejecit, accusatur lege, mente defenditur. M. Quid est legum contradictio? D. Cum leges contradicere se videntur. v. g. una lex jubet, ut Tyrannicidę statua ponatur, altera ne mulieri ponatur, mulier tyrannum occidit, & petit hoc præmium. Quæ omnia cum ex jure civili, tam publico, quam privato, tam in lege, quam in more pendeant, qui subtilius, & ingeniosius ea fuerit interpretatus, facilè causam obtinebit.

*Quæ sint constitutiones rationales, ac de statu cōjecturæ. Cap. X.*

M. QVæ sunt constitutiones rationales? D. Quæ non scripto, sed rationibus confirmantur, & dicuntur Status conjecturæ, Finitionis, & Qualitatis. Nam cum accusatoris intentio sit triplex Fecisti, Hoc fecisti, Iniusté fecisti, negatur triplici etiam depulsione, Non feci, ut pro Roscio: Aliud feci, ut pro Rabirio:

Rabirio: jure feci, ut pro Milone. Vnde tres dicti status proficiſcũtur. M. Quid eſt ſtatus? D. Prima cauſæ conſtitutio, in qua omnis cõtroverſia vertitur. M. Cur appellatur primus Conjecturæ? D. Quia in eo multis cõjecturis, & circunſtantijs veritas eſt inveſtiganda. M. Quæ ſunt iſtæ conjecturæ, ac circunſtantiæ? D. Multę, ſed ad antecedentia, conſequentia, & cum ſcelere conjuncta referuntur: in cæde v. g. antecedunt Odium vetus, ira recens, iniuriæ dolor, ulciſcendi ſtudium, rixæ, minæ, armorum apparatus, colloquutio cum ſicarijs, & eorum invitatio, vel ſaltem utilitas, facultas, boni ſpes, aut mali metus. Cum cæde cõjunguntur pedum crepitus, hominum cõcurſatio, umbrę prætereuntium, clamor auditus, interfector vocatus, vel in eo loco paulo ante viſus. Cædem verò conſequũtur fuga, telum, pedum, vel cruoris veſtigia, pallor, tremor, reſponſio inconſtans, hæſitatio, titubatio, gladius cruentus, &c. Solent etiam conjecturæ fieri ex locis, temporibus, factis, eventis, rebus, negotijs, & perſonis, in quibus ſpectari ſolet valetudo, forma, vires, ætas, ſexus, & habitus, quæ perſonarum attributa dicuntur. Huius generis exẽpla varia Cicero, pro Roſcio, & Milone præbebit.

## De Statu finitionis, & Qualitatis. Cap. XI.

M. QVid est Status finitionis? D. Quæstionis caput, ubi quid sit aliquid, & quo nomine vocandum inquirimus, v. g. Si quis accusetur sacrilegij, quod privatas pecunias è templo subripuerit, & fateatur crimen, sed dicat furti secum non sacrilegij agendum, cũ ipse non sacram, sed privatam rem abstulerit. Et quia rara sunt in hoc statu arguméta, definitione adhibita, vis verbi explicabitur, & similitudines, atq; exempla proferentur, quibus definitio explicari poſsit. Quod Cicero, qua solet eloquentia, pro Rabirio, & A. Cecinna facit. M. Quid est Status qualitatis? D. Principalis constitutio causæ, in qua de facti honestate, justitia, & qualitate agitur. M. Quot sunt qualitatis partes? D. Duæ, absoluta, & assumptiva. M. Quæ est absoluta? D. Qua nihil extrinsecum ad facti defensionem assumitur, sed quod objicitur, honestũ, ac justum esse defenditur, quod sit aperté religioni, naturæ, aut legibus consentaneum, ut Deum colere, patriam defendere, parentibus obtemperare, suum cuiq; reddere, filios castigare, vim vi repellere, &c.

M.

M. Quæ est qualitas assumptiva? D. Qua factum jam concessum, licet infirmum, ab aliqua ex his causis tuemur, à jure naturali, legibus, moribus, præjudicijs, bono, & æquo. Quę omnia Cicero pro Milone attulit. A jure naturali, *quo vim vi repellere licet*: à legibus, *quæ diurnum latronem, si se telo defenderit, interfici impunè, ne dum vitæ insidiatorem, voluerunt*: à præjudicijs, & moribus, *quos habet semper in ore, ostendēs quid sui maiores senserint, dixerint, fecerint, judicarint*: à bono, & æquo injuriæ propulsandæ, ex loco illo, *Quid comitatus nostri? quid gladij volunt? quos habere certè non liceret, si uti illis nullo pacto liceret.* His quidam addunt locum á comparatione, cum reus ex duobus malis id se fecisse dicit, quod levius fuit, ut C. Pompilius, qui se á Gallis obsessum impedimenta reliquisse fatetur ex pacto, ut exercitus aliter periturus liber evaderet, quę comparatio fit etiam non nunquam, ut aliquod inconveniens appareat, ut Cicero pro Milone, *Satius fuißet Miloni dari jugulum Clodio, quam à judicibus condemnari.*

*Quid sit purgatio, quid deprecatio, & à quibus deprecantis persona commendetur.* Cap. XII.

M. QVid faciemus, quando factum jā concessum contra jus esse constat, nullis-

que rationibus,tanquam licitum, defendi po test?D. Purgatione,vel deprecatione utemur. M. Quid est purgatio? D. Rei excusatio ab ætate,imprudentia, necessitate,& casu:à criminis remotione, & translatione; á pietatis officio,pu dicitiæ nomine, aut doloris impacientia. Ab ætate puerili,& tenera,in qua homines, si quid erraverint, facilé veniam consequuntur. Vt *Petrus Comes de Feria, qui cum penè puer, gladium in quendam distrinxisset, ante cubiculum Caroli V. Imperatoris Maximi, eidem temeritatem egerrimè ferenti, & severè interroganti, Quid istud Comes? Aetas iniens, respondit. Subrisit ille, hic liber evasit.* Ab imprudentia,cum quis fatetur se peccasse, insciẽter tamen, ut Titinius Centurio, qui ducem suũ pro hoste interfecit. A necessitate,cum ostẽdit se aliter facere nõ potuisse: ut Cicero pro Ligario,*cuius crimen (si crimen fuit esse in Africa) necessitatis, non voluntatis fuisse probat.* A casu illi simili,*qui Adrasti lanceam petendæ feræ causa missam in Atym Crœsi filium detorsit.* A criminis remotione, cum alicuius authoritate, aut iussu quemquam occidit,ut Servili⁹ Hala Spur. Melium, Cincinnati authoritate impulsus, ut Milonis Servus Clodium ipsius Milonis iussu,interemit. A pietatis officio,cũ

injuria

injuria patri, vel patriæ illata cõmotus, quidquam in se admisit, ut Manlius Torquatus, *qui Pomponio Tribuno plebis mortem est minitatus, ut absolveret patrem suum ab eodem tribuno in jus vocatum:* aut Brutus, qui liberos suos interfecit, quod patriæ proditionem moliri existimasset. A puditiæ nomine, ut *Virginius, qui filiam de medio sustulit, ne Apij Claudij libidini dederetur.* A doloris impacientia, ut *Orestes, qui Matrem vulneribus confodit, quod Patrem suum Agamēnonem occidisset.* M. Quid est Deprecatio? D. Veniæ petitio, cum quis delictum inficiari, aut excusari non potest; quæ in judicijs rarissimè admittitur, ubi sic agi solet *Non fecit, non cogitavit, falsi testes, fictum crimen:* apud principem vero piū valere solet plurimum. Quare Cicero sic pro Ligario Cæsarem deprecatur, *Sed ego ad parentem loquor, erravi, temere feci, pænitet, ad clementiam tuam confugio, delicti veniam peto, ut ignoscas oro.* M. A quibus rebus deprecantis persona, ut misericordia digna, commendatur? D. A primo, & vehementi animi motu, ab occasione sibi oblata, ab anteactæ vitæ innocentiæ, vel spe futuri melioris, à dignitate, à parentū meritis, ab amicorum gratia, & à recenti beneficiorum memoria, si quæ á suis, vel á se in

temp. fuerint collata. Sed hæc de tribus causarum generibus, ad laudem, suasionem, & defensionem dicta sufficiant, quorum contraria copiosam vituperandi, dissuadendi, & accusandi materiam præbere poterunt.

*Causarum genera plura, vel pauciora esse nõ possunt, & quem sibi unumquodq; finem proponat. Cap. XIII.*

M. POssunt esse plura, vel pauciora hęc causarum genera? D. Non: res enim, quæ ab oratore tractatur, aut comperta est, aut lubrica: si comperta, vel laudatur, vel vituperatur, quod generis demõstrativi proprium est. Si lubrica, vel agitur in judicio, vel extra: si in judicio ad judiciale; si extra, ad deliberativũ pertinet. Attamen Demóstrativum cum alijs duobus sæpe conjungitur, quod vix, sine illius auxilio deliberari, aut judicari potest. M. Quẽ finẽ sibi proponit in hisce generibus Orator? D. Duplicem in singulis, in demõstrativo, honestatem, aut turpitudinem, & delectationẽ: in deliberativo, utilitatem, aut damnum, & spem, aut metum. in Iudiciali justitiam, & clementiam, aut sævitiam: primus finis ad causam

ſam obtinendam, ſecundus ad motus animorum commovendos adhibetur.

*Quid ſit argumentum, & quotuplex, ac de numero locorum, unde tota vis argumentationis emanat.* Cap. XIIII.

M. QVomodo res ad hæc omnia cauſarum genera, pro dignitate tractanda, inveniuntur? D. Argumentis, & argumentationibus, ex varia locorum differentia, erutis. M. Quid eſt argumentum? D. Probabile inventum, ad faciendam fidem, quod Ariſtoteles principium, elementum, fidem, rationem, medium, & probationem ſolet appellare. Vnde tota vis argumentationis, quæ argumenti eſt explicatio, emanat: Sed lato modo á Rhetoribus argumentum dicitur Quæſtionis probatio; quod rem probat, atque demonſtrat, quomodocumq; fiat, vel undecumque ducatur. M. Quotuplex eſt argumentum? D. Duplex, inſitum, & aſſumptum. M. Quid eſt argumentum inſitum? D. Quod ex ſe, & natura ſua fidem facit, quia in eo ipſo, de quo agitur, inhęret, ut cauſæ, effecta, adjuncta, &c. M. Vnde ducitur, ut fidem faciat? D. Ex locis Topicis.

M.

M. Quos vocas locos Topicos? D. Sedes argumentorum, in quibus omnia quasi latent argumenta. Vt enim thesauri defossi, demonstrato loco, facilis est inventio, ita cum pervestigare argumenta volumus, hos locos nosse debemus. M. Quot sunt loci, unde argumēta insita eruuntur? D. Multos multi faciunt, nos vero ad septē omnes reducimus. M. Qui sunt? D. Causæ, effecta, adjuncta, cōsentanea, dissentanea, divisio, & diffinitio.

*De causis, & earum divisione, ac de fine. Cap. XV.*

M. QVid est causa? D. Vnde aliquis existit effectus: nihil enim fit sine causa; nam ignis est causa caloris, Sol diei, &c. M. Quot sunt causarum genera? D. Quatuor, Finis, Efficiens, Forma, & Materia. M. Quid est Finis? D. Causa, cuius gratia aliquid fit, ut Præmia sunt? ergo laborandum est: & habetur omniū præstantissima, quippe quæ maximam Oratori dicendi copiam subministrat, & ad quam cæteræ omnes causæ referuntur. A fine honesto, & utili, Cicero pro lege Manilia suasit, bellum Mitridaticum esse suscipiendum: ab honesto, quod susceptam ignominiæ labem dele-

deleret, ac Romanis gloriam afferret: ab utili, quòd sociorum salutē, publica vectigalia, & civium bona conservaret. A fine igitur honesto, utili, & delectabili; vel ab aliquo his contrario laudamus, deterremus, vituperamus, suademus, definimus, ac tandem exortamur, ut Cicero pro Sestio: *Hæc imitamini, per Deos immortales, qui dignitatē, qui laudem, qui gloriã quæritis: hæc ampla sunt, hæc divina, hæc immortalia, hæc fama celebrantur, monimentis annalium mandantur, posteritati propagantur.*
M. Solet ne finis ad amplificandam orationē adhiberi? D. Et quidem vehementer, præsertim si varij fines destinati conjungantur. M. Quos vocas fines destinatos? D. Quos ad supremum consequendum comparantur, ut, Delectum habere, exercitum parare, aciem instruere, machinas adhibere, urbem oppugnare, hostem occidere, ad victoriam comparandam. A destinatis Cicero suam orationem illustravit, quando Cæsarem movit, mitigavit, & ad ignoscendum Ligario coegit, sic in Tuberonem invectus. *Quid enim Tubero tuus ille districtus in acie Pharsalica gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? Nimis urgeo:*

*urgeo: commoveri videtur adoleſcens, ad me revertar.*

*De cauſa efficiente ſponte, vel non ſponte, deque ejus multiplici varietate.*

*Cap. XVI.*

M. QVid eſt cauſa efficiens? D. Quæ facit per ſe ſola, vel adjuvans, vel procreans, vel conſervans ſponte, vel non ſponte; ut aliquid ſit. v. g. Ignis eſt cauſa incendij efficiens per ſe ſolus: Architectus, miniſtri, & inſtrumenta ædificij adjuvans: pater filij procreans, & conſervãs. M. Quæ eſt cauſa efficiẽs ſponte? D. Quæ particeps eſt conſilij, quo ducitur ad efficiendum: ut homo cum ſua ſpõte aliquid efficit. M. Et non ſponte? D. Quæ ratione, conſilio, aut voluntate caret, ut cum ipſe homo neceſsitate, fortuna, vel caſſu coactꝰ non ſponte ſua operatur, & res omnes naturales, ut elementa, plantæ, arbores, &c. Pecuniam rerum omnium cauſam efficientem non ſponte abſolutam, adjuvantem, procreatricẽ, & conſervantem vulgi opinio facit: quare dixit Hor. cap. 6. lib. 1.

*Scilicet uxorem cum dote, fidemq; & amicos,*
*Et genus, & formam regina pecunia donat:*
*Ac bene nummatum decorat Suadela, Venuſq;*

M.

M. Quomodo ex causis efficientibus amplificatur oratio? D. Si multæ in ea conglobētur, ut á Cic. pro Sestio, conglobantur illæ, propter quas illum multi persequerentur: *Cum alij (inquit) me suspicione periculi sui non defenderent; alij vetere odio bonorum incitarentur; alij inviderent; alij obstare sibi me arbitrarentur; alij ulcisci dolorem suum aliquem vellent; alij rem ipsam publicam, atq; hunc bonorum statum, otiumq; odissent, & ob hasce causas tot tamq; varias me unum deposcerent, &c.* Martialis itē multas Beatæ vitæ causas efficientes ex bonis animi, corporis, & fortunæ hoc modo cōjungit.

*Vitam quæ faciunt beatiorem,*
*Iucundißime Martialis, hæc sunt.*
*Res non parta labore, sed relicta:*
*Non ingratus ager: focus perennis:*
*Lis nunquam: toga rara: mens quieta:*
*Vires ingenuæ: salubre corpus:*
*Prudens simplicitas: pares amici:*
*Convictus facilis, sine arte mensa:*
*Nox non ebria, sed soluta curis;*
*Non tristis thorus, attamen pudicus:*
*Somnus, qui faciat breves tenebras:*
*Quod sis esse velis, nihilq; malis.*
*Summum nec metuas diem, nec optes.*

M. Quomodo ab efficientibus argumentari poterimus? D. Sic; qui sibi cupit eloquentiam comparare, eum multa diligenter audire, legere, scribere oportet: hæc enim tria sunt, quibus dicendi facultas acquiritur. M. Hæ duæ causæ Finis, & Efficiens ubi valent plurimum? D. Vbiq; nam in genere Demonstrativo laudamus eos, qui litteris, virtutibus, & rebus egregijs sua sponte vacant; contra vituperamus eos, qui omnia inviti faciunt: in judiciali, crimen negantem convincimus, si voluit, & potuit; contra defendimus, qui inuitus peccavit, & hinc deprecationes usurpamus, *Ignosce, imprudens fecit, invitus erravit, lapsus est, non putavit, si unquam post hac.* In genere autē deliberativo multo frequentius: nam cum in omni deliberatione duo potissimum considerentur, fieri ne possit id, & an expediat, hoc à fine, illud ab efficiētibus causis colligitur: unde his oratores frequentissimé utuntur; Forma, & Materia non item: quā vis non tantum causæ, sed etiam principia rerum dicantur, quoniam ex materia, & forma res omnes componuntur.

(?)

*De materia, & forma.* Cap. XVII.

M. QVid est materia? D. Ex qua quidlibet efficitur, ut ligna, lapides, arena, & calx sunt materia domus, ferrum ensis, æs, vel marmor statuæ, &c. Hinc suademus, vel dissuademus ad aliquid faciendum, quod suppetat, vel nõ suppetat materia. Hinc laudamus, vel vituperam⁹ res, quód ex materia optima, vel pessima constent, hinc Ovidius 2. Metam. Solis regiam laudibus effert, quod ex ebore, argento, auro, & gemmis ædificata sit:

*Regia solis erat sublimibus alta columnis,*
*Clara micante auro, flãmasq; imitãte pyropo,*
*Cujus ebur nitidum fastigia summa tegebat:*
*Argenti bifores radiabãt lumine valuæ, &c.*

M. Quomodo argumentum à materia sumitur? D. Sic, Hominum corpora mortalia sunt, ergo immortales animi tandem aliquãdo ab eorum societate sevocandi sunt: imago est cerea, ergo mollis: statua ænea, ergo durissima: Vrbs male materiata, & minitans ruinã, ergo facilè capietur. M. Quid est forma? D. Quæ rebus omnibus dat nomina, & à qua omnia inter se distinguuntur. M. Quotuplex est? D. Duplex, una interna, & naturalis, ut anima viventium; altera externa, & artificio-

sa, quam ars operi imponit; quæ in rebus vitá carẽtibus instar animæ est, & forma rei appellatur. Ab utraq; laudare solemus, ut Cic. 1. de leg. hominem ab animo, sic: *Animal hoc providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenũ rationis, & consilij, quem vocamus hominẽ, &c.* Sic Virgilius Aeneidos 7. Latini regiam à forma laudat.

*Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis, &c.*

Hortamur etiam, vel deterremus, & conjectamur á forma. v.g. Vrbis, quòd sit expugnatu facilis, vel difficilis, &c. M. Quomodo á forma ducitur argumentum? D. Hoc modo, Hominũ animi sũt immortales, ergo homines ad immortalitatem aspirare debent. Cælum rotundum est, ergo facile circumagitur. Harum quatuor causarum usus latissimé patet, maximamq; oratori dicendi copiam subministrat unde habetur.

*Fœlix, qui potuit rerum cognoscere causas.*

*De effectis.* Cap. XVIII.

M. QVæ sunt effectus? D. Quæ à Cicerone modo effectus, modo Eventa, modo eventus, & orta de causis appellantur, quod è

causis

causis existunt, ut calor est ignis effectus, lux Solis, belli pax, liber autoris, &c. M. Quot sunt effectorum genera? D. Totidem, quot causarum, quia nullum invenitur effectum, quin ex causarum aliqua nascatur. Huc dicta, facta, scripta, & consilia referuntur, à quibus personæ laudari, vel vituperari solent, quasi causæ talia producentes effecta. M. Quomodo ab effectis argumentamur? D. Sic, Si dulcis est gloria, consequere virtutem, ex qua vera gloria procedit. Si quodlibet abhorres malum, malorum omnium causam voluptatē fugito. Effecta vero magis ad amplificādum, quam ad probandum adhibentur, quibus in in invidiam adducimus, incitamus, ac deterremus. Cicero Marcum Antonium, Philip. 2. ab effectis odiosum facit: *Doletis tres exercitus populi Romani interfectos? interfecit Antonius: Desideratis clarissimos cives? eos quoq; vobis eripuit Antonius: Authoritas hujus ordinis afflicta est? afflixit Antonius: omnia denique quæ postea vidimus mala (Quid autem mali non vidimus?) si rectè ratiocinabimur, uni accepta referemus Antonio.* Publius item Scipio, primó cum Annibale congressurus, Romanos incitat, ab effectis, quæ belli labor in hostibus producebat: *Effigies* (inquit) *imò*

*umbræ hominum, fame, frigore, illuvie, squallore enecti, contusi, ac debilitati, inter saxa, rupesq; Ad hæc perusti artus, nive rigentes nervi, mēbra torrida gelu, quassata, fractaq; arma, claudi, ac debiles equi: cum hoc equite, cum hoc pedite pugnaturi estis, reliquias extremas hominum, non hostes habebitis.* Ex hoc etiam loco Virgilius Venerem, & Bacchum vituperat, à morbis, ab arcani significatione, rixis, bellis, impudētia, improbitate, audacia, & temeritate, sic:

*Nec Veneris, nec tu vini capiaris amore,*
*Vno namq; modo vina, Venusq; nocent.*
*Vt Venus enervat vires: sic copia Bacchi,*
*Et tentat gressus, debilitatq; pedes.*
*Multos cæcus amor cogit secreta fateri:*
*Arcanum demens detegit ebrietas.*
*Bellum sæpe parit ferus exitiale Cupido:*
*Sæpe manus itidē Bacchus ad arma vocat.*
*Perdidit horrēdo Trojā Venus improba bello:*
*At Lapithas bello perdis Iacche gravi,*
*Deniq; cum mentes hominum furiavit uterq;*
*Et pudor, & probitas, & metus omnis abest,*

M. Quæ sunt adjuncta? D. Quæ cum re, vel persona sunt conjuncta: nam in genere Deliberativo, & judiciali quæruntur circunstātiæ, quæ ante rem, cum re, & post rem evenerint, ut

ut inde conjectura fiat, vel judicium, quæsitis adjunctis ex rerum omnium circunstantijs, quales sunt Personæ, Res, Loci, Auxilia, Causæ, Modus, & Tempus, quæ hoc versiculo continentur.

*Quis, Quid, Vbi, Quibus auxilijs, Cur, Quomodo, Quando.*

Et quæcumq; ab his circunstantijs argumẽta ducuntur, ab adjunctis ea duci dicuntur. In genere autem Demonstrativo latius adjuncta patent: nam omnia comprehendunt, quæ in fortunæ, corporis, & animi bonis continẽtur. Cicero 1. de Oratore, ab animi adjunctis sic laudem ducit *Quod acumen? quæ celeritas respondendi, & lacessendi? quæ eruditio? quæ urbanitas? quæ rerum scientia? naturæ muneribus, tã habilis, & aptus, ut ab aliquo Deo fictus esse videretur.* Idem Cicero, Pro Q. Rosc. á corporis accidentibus facetissimè Chereæ personam, & faciem sic describit: *Faciem considerate, nonne ipsum caput, & supercilia illa penitus abrasa olere malitiam, & clamitare calliditatẽ videntur? nonne ab imis unguibus usq; ad verticem summum, si quam conjecturam affert hominibus tacita corporis figura, ex fraude, fallacijs, mendacijs constare totus videtur. Qui id circo capite, & supercilijs semper est rasus, ne*

 *ullum*

*ullum pilum viri boni habere dicatur.* Ab eisdem corporis accidentibus, sic Martialis lib. 2. Epist. 54. Zoilum vituperat.

*Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine læsus,*
*Rem magnam præstas Zoile, si bonus es.*

Ab amicis, qui circumstant Catilinam, sic Cicero 2. in Cat. detestatur, *Quis tota Italia veneficus? quis gladiator? quis latro? quis sicarius? quis parricida? quis testamentorum subjector? quis circumscriptor? quis ganeo? quis nepos? quis adulter? quæ mulier infamis? quis corruptor juventutis? quis corruptus? quis perditus inveniri potest, qui se cum Catilina non familiarissimè vixisse fateatur? &c.* M. Sunt hæc argumenta firma? D. Non, *Sed quæ non prosunt singula, mult a juvant.* Antecedentia tamen, & Consequentia (quæ inter adjuncta numero) firma solent argumenta elicere.

*De antecedentibus, & consequentibus.*
*Cap. XIX.*

M. Quæ sunt Antecedētia? D. Omnia, quę natura, vel tempore antecedunt res, cum quibus necessariò cohærēt. (aliter enim adjuncta erunt) v. g. Ortus est Sol, ergo dies est.

est. Voces hujus propositionis, Ortus est Sol, sunt Antecedentia, quia necessariò cohærent cum consequentibus, Dies est. M. Quæ sunt Consequentia? D. Quæ antecedentia necessarió consequuntur, ut Dies est, in exemplo allato; & hoc, Magna est cicatrix, ergo magnū fuit vulnus. M. Quomodo ex Antecedentibus, & consequentibus argumentationes fiunt? D. Ex connexis pronunciatis: ab Antecedentibus affirmando, & à consequentibus negādo plerumq; v.g. Si color est, qualitas est, sed est color, ergo qualitas. Si lapis est animal, sentit, sed non sentit, ergo non est animal. M. Quæ vocantur Connexa pronunciata? D. Propositiones Hypotheticæ, quibus conjunctio si, præponitur, ut ostēdatur posteriorem partē ex priore necessarió sequi: ut vides in syllogismis modo positis. M. Qui cognosci poterit, an ab antecedentibus, an à consequentibus argumentatio fiat? D. Si prima propositionis pars fuerit in assumptione, erit ab ántecedētibus; si secunda, á consequētibus. v.g. Si homo est, doctrinæ capax est. Hæc est ab antecedētibus, quæ sequitur à cōsequētibus. Si orator est Plinius, apté, distinctè, & ornatè dicit: sed non aptè, distinctè, & ornaté dicit, ergo non est orator. Horum consequentium

 frequen-

frequentatio ad ornatum, & amplificationẽ vim habet maximam. M. Quid eſt conſequẽtium frequentatio? D. Congeries eorum, cum mala, vel bona, quæ conſecutura ſunt, proferuntur. Ci. pro Murena. *Conſulem, judices, ita commendo, ut cupidiſsimum otij, ſtudioſiſsimum bonorum, accerrimum contra ſeditionem, fortiſſimum in bello, inimiciſsimum huic cõjurationi, quæ nunc remp. labefactat, futurum eſſe promittam, & ſpondeam,* Item, Pro Mur. *Si (quod Iupiter omen avertat) hunc veſtris ſententiis afflixeritis, quò ſe miſer vertet?* & totus locus.

### *De conſentaneis, ac primum de ſimilitudine.* *Cap. XX.*

M. QVæ ſunt conſentanea? D. Quæ cum altera propoſitionis parte cõſentiũt, in quibus res conſideramus, quæ conſecũtur inter ſe, pares ne ſint, an in pares, ſimiles, aut diſsimiles. M. In quot partes dividuntur? D. In tres, ſimilitudinem, differentiam, & comparationem. M. Quid eſt ſimilitudo? D. Propoſitio, qua duo, vel plura inter ſe conferuntur, ut rebus lucem inferat clariorem. v. g. Vt terra cultu, ſic animus noſter diſciplinis melior, & uberior evadit. M. Quotuplex eſt? D.

D. Triplex, pura, media, & plena. M. Quæ eſt pura? D. Quæ nudis verbis, omniq; amplificatione detracta, ad docendum proponitur. v.g. Vt aurũ igne, ſic benevolentia fidelis periculo perſpicitur. M. Quæ eſt media? D. Quæ temperata verborum, ac rerum varietate ad delectandum diſtinguitur. v.g. Vt æra Corinthia caſus effecit, & pictor ille ſpumam equi, quam arte nequibat exprimere, impacta in os equi ſpongia varijs imbuta coloribus, caſu expreſsit: ſic quædam caſus cõficit, quæ providentia, curaq, noſtra non poſſunt effici. M. Quæ eſt plena? D. Quæ copioſo, grãdiloquo, & pene poëtico ſpiritu profertur, & magis ad orationem amplificandam, quam ad fidem faciendam inducitur: ut ſi hominem rapacem, & acerbitatis ſuæ virus evomentem draconi ſimilem facias, qui, tanquam ſerpẽs, é latibulis, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis cervicibus, acutis dentibus evolet, ut aliquid mali faucibus, vel unguibus quidpiam rapere valeat.

*De ſimilitudinis ſpeciebus, inductione, exemplo, & collatione. Cap. XXI.*

M. QVot ſunt Similitudinis Species? D. Tres, quæ orationem illuſtriorẽ reddunt,

dunt, inductio, exemplum, & collatio. M. Quid est inductio? D. Oratio, quæ multa colligit, ut quod vult tandem cócludat: v.g. Nec Cresso aurum, nec vires Achili, nec Demosthoni eloquentia, nec Alexandro gloria fœlicitatem afferre potuerunt, ergo nulli, ergo nec tibi. M. Quid est exemplum. D. Ratio, quæ in aliquorum factis, dictis, eventis, vel fabulis nititur. In factis: Vt Annibalem juveniliter exultantem Q. Fabius Maximus sua patientia molliebat: ita nos puerilem impudentiam tolerantia nóstra reprimere debemus. In dictis: Quemadmodum P. Scipionem dicere solitum scripsit Cato, Nunquam se minus otiosum esse, quam cum otiosus, nec minus solum, quam cum solus esset: sic D. Bernardus dicebat, qui cum Christo in oratione otiosus est, nunquam minus otiosus est, quã cum otiosus, nec minus solus, quam cũ solus est. In Eventis: Vt deliciæ Campanæ Annibalis exercitum effæminatum reddiderunt: ita mollis vita vires animi, corporisq; debilitat, & frangit. In fabulis: Ex suo regno sic Mithridates profugit, ut ex eodem Ponto Medæa illa quondam profugisse dicitur, &c. M. Quid est Collatio? D. Argumenti genus, quod rẽ cum re cófertur, ut, Sicut aves ad volatum, equi

ad

ad cursum, ad sævitiam feræ gignuntur, ita nobis propria est mentis agitatio. Huc poëtarum similitudines reducuntur, ut Orat. lib. 1. Epist. 2.

*Incipe: vivendi, qui recte prorogat horam*
*Rusticus expectat, dum defluat amnis; at ille*
*Labitur, & labetur in omne volubilis ævum.*

Et impossibilia, ut Virgilius Ecl. 1.

*Ante leves ergo pascentur in æthere cervi,*
*Et freta destituēt nudos in littore pisces, &c.*
*Quam nostro illius labatur pectore vultus.*

Et Hyperbolica, ut idem Aeneid. 1.

*In freta dū fluvij current, dū montibus umbræ*
*Lustrabunt convexa, polus dū sydera pascet,*
*Semper honos, nomenq; tuū laudesq; manebūt.*

Hæc similitudinis genera orationem ornant, faciuntq; sublimem, floridam, jucundam, & admirabilem.

*De differentia.* Cap. XXII.

M. QVid est differentia? D. Dissimilitudo maximè contraria similitudini, cui si negatio præponatur, vel contrà postponatur, differētia efficietur. Vt Cic. lib. 4. ad Her. *Non quemadmodum in palæstra, qui tædas ardentes accipit, celerior est in cursu continuo, quā ille qui tradit: ita melior imperator novus, qui accipit exercitum, quam ille, qui decedit,* prop-

*propterea quòd defatigatus cursor integro facem, hic imperator imperito exercitum tradit.* Et Plut. *Luna cum Soli conjungitur, tum obscuratur; cum abest, lucet: contrà proba uxor, præsente marito, conspici debet; eodem absente, maximè condi, ac latere.* M. Ergò ejusdẽ erit Differentię argumentum, quam similitudinis invenire? D. Prorsus, nam eadem est contrariorum ratio. Huc pertinent Anthitheta, ut, pro Cluentio, *Vicit pudorem libido, timorem audaciа, rationem amentia*: & orationes, quæ incipiunt à conjũctionibus adversativis Etsi, Tametsi, Quanquam, Quanvis, &c.

*De comparatione, & eius argumentis à minori, pari, & maiori.* Cap. XXIII.

M. Quid est Comparatio? D. Collatio, cũ duo, aut plura in aliquo tertio conferuntur. v. g. Si Catoni licuit Pompeij partes agere, ergo & Ciceroni. M. Quod discrimen est inter similitudinem, & Comparationem? D. Quod in similitudine duæ res cũ duabus, aut tres cum tribus conferuntur: Philip. 2. *Vt quidam morbo, & sensus stupore suavitatem cibi non sentiunt: sic libidinosi, avari, facinorosi veræ laudis gustum non habent.* Hic duæ res cũ duabus conferũtur, ægroti nempe cum cibo,

quem

quem recusant, & libidinosi cum laude, cujus gustũ non habent; quæ similitudo, Analogia, vel proportio appellatur. In Comparatione vero, duo vel plura in aliquo tertio (ut diximus) conferuntur. v.g. Tam debetur honos matri, quam patri, ubi mater, & pater in honore conferuntur. M. Quomodo ex comparatione, vel ex comparatis (nam idem sunt) argumentum ducimus? D. Ex comparatione minorum, parium, & maiorum. Minorũ, quæ minus ad rem probandam, quam ad amplificandam valere videntur, & affirmatè ferè tractantur, ut Ovid. de remedio am. 1.

*Ut corpus redimas ferrum patieris, & ignes,*
*Arida nec sitiens ora lavabis aqua:*
*Ut valeas animo quidquam tolerare negabis?*
*At precium pars hac corpore majus habet.*

Parium, quæ ex re pari parem colligit, ut Virgil. 10 Aeneid. *(hoste*

*Numina nulla premunt, mortali urgemur ab*
*Mortales, totidem nobis, animiq; manusq;.*

Maiorum, quæ plus obtinent virium ad probandum, & ferè semper negando apertè, vel occultè procedunt, ut, Si Hercules duobus resistere non potuit, nec tu poteris, & Cic. 6. in Verrem. *Miramur Athenis Minervam, Deli Apollinem, Venerem Sami, multos prætereà ab*

*isto Deos tota Asia, Graciaq; violatos, qui à Capitolio manus abstinere non potuit.*

## *De dissentaneis.* Cap. XXIIII.

M. QVæ sunt Dissentanea? D. Quæ de eodem simul affirmari, vel negari non possunt. M. Quot sunt eorum partes? D. Quatuor, Adversa, Privantia, Relata, & Negantia. M. Quæ sunt Adversa? D. Quæ in eodem genere posita plurimum inter se differunt, ut Pax, & bellum; sapientia, & stultitia, Dulce, & amarum; homo, & bellua, &c. Ab adversis argumentatur Virg. Aeneid. 11. cum dicit.

*Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.*

Ideſt bellum eſt nobis perniciosum, ergo pax expetenda eſt. M. Quæ sunt Privantia? D. Habitus, & eorum privationes, ut vita, & mors, visus, & cæcitas, lux, & tenebræ, loquax, & mutus, sobrius, & ebrius. Hinc eſt illud Martial lib. 3.

*Ebrius es, nec enim faceres hæc sobrius unquã.*

M. Quæ sunt Relata? D. Quorũ vis in mutua relatione consistit, ut Pater, & Filius, Magister, & discipulus, Dux, & miles, locare, & cõducere, &c. Hisce relatis totus scatet Cic. ut in Oratore: *Cur discere turpe eſt, quod scire honestum*

*nestum est? aut quod nasse pulcherrimum est, id non gloriosum docere?* & alibi, *Si turpe non est illis portorium locare, nec mihi conducere.* M. Quæ sunt Negantia? D. Contradicentia, quorum natura talis est, ut ambo simul non possint esse vera, neq; falsa. v. g. Omnia possumus omnes: non omnia possumus omnes. Sic dixit Martialis.

*Cum facias versus nulla non luce ducentos,*
*Vare nihil recitas, non sapis, atq; sapis.*

Ex ijs perfectis contrarijs duxit Cicero 1. de Inu. illam pulcherrimam argumentationem: *Si quo tempore istud me fecisse dicitis, ego trans mare fui, relinquitur, ut id quod dicitis non modo non fecerim, sed ne potuerim quidem facere, contradicunt enim me hic fuisse, & trans mare fuisse; nam si hoc est, non est illud.* M. Qua in re, differunt quatuor hæc dissentanea? D. Quod adversa sub eadem Cathegoria, vel genere maximé distant: Privantium alterum petit privationem alterius: relata inter se conferuntur: negantia denique postulant, ut unum alterius negationem importet. Hinc repugnantia deducuntur, quæ repugnant in esse rebus, quarum respectu, repugnantia esse dicũtur v. g. Nocendi cupiditas amicitiæ repugnat, ergo in amico talem cupiditatem esse re-

pugnat. Ab his repugnantibus Cic. pro Milone, argumentatur sic: *Ejus igitur mortis sedetis ultores, cujus vitam, si putetis, per vos restitui posse, nolitis*: repugnat enim mortem alicujus ulcisci, & eidem vitam nolle restitui.

*De Dissentaneorum argumentatione, & amplificatione. Cap. XXV.*

M. Quomodo ex Dissentaneis argumenta ducuntur? D. Duplici: probabiliter, cum dissentanea dissentaneis geminata redduntur, ut, Si stultitiæ nomen exhorrescimus, sapientiæ studeamus. Necessariò, cum affirmatur unum, & alterum negatur, sed non vice versa, si habet medium, ut: Si albus est, niger non est: Si autem medio carent, ab affirmatione, vel negatione complexio erit necessaria, ut: Non est par, ergo impar; est par, ergo non impar, Hinc per contrariorum, & dissimilium, & inter se pugnantium rerum conflictionem amplificatur oratio. M. Quid est harum rerum conflictio? D. Contrariorum concursus, cum contraria contrarijs, dissimilia dissimilibus, pugnantia pugnantibus referũtur. M. Contraria contrarijs quomodo? D. Sic, Cic. in Cat. 2. *Ex hac parte pudor pugnat,* *illinc*

*illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc ſtuprum: hinc fides, illinc fraudatio: hinc pietas, illinc ſcelus: hinc conſtantia, illinc furor: hinc honeſtas, illinc turpitudo: hinc continẽtia, illinc libido,* &c. M. Diſsimilia diſsimilibus? D. Sic, Cic. pro Murena. *Vigilas tu de nocte, ut tuis conſultatoribus reſpondeas; ille ut quò intendit maturè cum exercitu perveniat: Te gallorum, illum buccinarum cãtus exſuſcitat; tu actionem inſtituis; ille aciem inſtruit: tu caves ne tui cõſultores, ille ne urbes, aut caſtra capiantur.* M. Pugnantia pugnantibus? D. Sic, Cic. pro Roſc. Com. *Mihi ridiculè es viſus eſſe inconſtans, qui eundẽ, & læderes, & laudares, & virum optimum, & hominem improbiſsimum eſſe diceres, eundẽ tu, & honoris cauſa appellabas, & virum primariũ eſſe dicebas, & ſocium fraudaſſe arguebas,* &c.

### *De Diviſione, & ejus partibus.* *Cap. XXVI.*

M. QVid eſt Diuiſio? D. Totius in parteſ diſtributio. M. Quotuplex eſt? D. Quadruplex, ex cauſis, effectis, ſubjectis, adjunctis. M. Quando diviſio ex cauſis efficitur? D. Cum res diviſa effectum eſt, ut ſi homo dividatur in animam, & corpus,

quę partes dividentes sunt hominis causæ internæ,& constituentes ipsum hominē. Quod divisionis genus optimū habetur, & ad quod poëtarum distributiones, & oratorum partitiones pertinent, cum totam sibi propositam materiam in partes dividunt: ut Vir.Geor.1.

*Quid faciat lætas segetes, quo sidere terram*
*Vertere, Mecænas, ulmisq; adjungere vites*
*Conveniat: quæ cura boum, qui cultus habēdo*
*Sit pecori, atq; apibus, quāta experiētia parcis,*
*Hinc canere incipiam, &c.*

Et Cicero pro lege Manilia. *Primum mihi videtur de genere belli dicendum: deinde, de magnitudine. tunc de imperatore deligendo.* M. Divisio ex effectis quomodo fit? D. Cum res divisa est causa, & partes divisionis effecta, ut illa Pythagoræ apud Ciceronem Tusc. 5. *Hominū alij student gloriæ, alij quæstui, alij rerum cognitioni,* & in hoc divisionis genere Divisio generis in formas excellit maximé. M. Quid est genus? D. Notio communis, quæ plures formas sui similes complectitur, vel quæ de multis differentibus specie dicitur, ut animal de homine, equo, leone, cane, &c. Virtus de prudētia, justitia, fortitudine, temperātia, quæ sunt formæ, sive species generi subjectę, habenturque tanquam effecta: & genus, ut causa.

M. Divisio ex subjectis, quæ est? D. Cum res divisa est adjunctum, & partes sunt subjecta, ut Cic. Acad. 1. *Philosophadi ratio est triplex, una de vita, & moribus: altera de natura, & rebus occultis, tertia de disserendo.* M. Divisio ex adjunctis, qui fit? D. Cum res divisa est subjectum, partes vero adjuncta, ut, Corpora hominum alia sunt alba, alia nigra, alia æneo colore affecta. Vxor, vel est formosa, vel deformis: si formosa, erit communis, si deformis erit molesta, ergo non ducenda. M. Quod discrimen est inter divisionem, & partitionē, seu partium enumerationem? D. Quod illa à toto universo, hæc ab integro petatur. M. Quid est totum universum? D. Idem quod Genus, quod est suis partibus prius, & illo pereunte, simul, & ejus formæ pereunt. M. Quid est totum integrum? D. Quod est posterius suis partibus, ut domus, qua corruente, partes extare perspicimus.

*De varijs divisionis, seu partionis argumentis.*
*Cap. XXVII.*

M. QVibus modis á divisione, seu partium enumeratione argumétatio elicitur? D. Quatuor, cum affirmatis, vel negatis omnibus, totum affirmatur, vel negatur: aut cum

remotis cæteris partibus, una sola relinquitur: aut à toto ad partes. M. Quod ex ijs argumentandi genus vim habet maximam? D. Primum, plerumq; enim totas orationes, aut majorem earum partem amplectitur: ut oratio pro lege Manilia, quæ tota ab hoc argumento pendet. M. Quomodo? D. Enumerat Cic. res quatuor, quas in summo imperatore ait esse oportere: *Scientiam rei militaris, virtutem, autoritatem, fœlicitatem*, quas omnes in Pompejo, maximas esse ostendit, atque ita concludit, *Pompejum esse summum imperatorem, & proinde dignum, qui ad bellum illud deligatur*. M. Negatis omnibus partibus, quomodo totum etiam negatur? D. Fac te velle probare servum quendam non esse liberum, & sic argumentationem elicies, à tribus modis, quibus tantum servi libertatem acquitebant, Cic. Top. 10. *Hic neq; censu, neq; vindicta neq; testamento liber factus est, ergo liber nō est.* M. Negatis cæteris, quomodo unam partem relinquemus? D. Sic: *Hanc pecuniam, aut habuisti ipse, aut ab aliquo accepisti, aut invenisti, aut subripuisti, sed neq; ipse habuisti, nec ab aliquo accepisti, nec invenisti, reliquū est igitur, ut subripueris*: & hoc argumentū vocat Quintil. à remotione. M. A toto ad partes qui fit

argu-

argumentatio? D. Si, universali signo affirmato, vel negato, totū affeceris, ut Omnibus artibus studuisti, ergo Dialecticæ: Nihil mihi dolet, ergo neq; caput.

*De Deffinitione, ac Descriptione.*
*Cap. XXVIII.*

M. QVid est Definitio? D. Oratio, quæ breviter naturam rei explicat. M. Vnde sic dicta? D. Ab agrorum finibus, unde finitio etiam appellatur: nam ut agrorū fines agros definiunt, & ab alijs separant, sic definitiones, rerum naturas explicant, essentias circumscribunt, aliasq; ab alijs secernunt. M. Quotuplex est Definitio? D. Duplex, perfecta, & imperfecta: perfecta est, quæ constat genere, & differentia, ut Homo est animal rationale. Hanc Dialectici tanti æstimant, ut eam unam tanquam sibi propriam libenter agnoscant, profiteantur, usurpent: quam nos illis relinquimus, quippequæ rarò ad amplificandum adhibeatur. Imperfecta est, quæ, differentiæ loco, habet accidentia, subjecta, adjūcta, &c. ut Cic. 1. de leg. *Homo est animal providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenū rationis, & consilij*, & hæc appellatur Descriptio, qua oratores, historici, & poëtæ frequēter utūtur, quod fit ad cōmune judicium, popularemq;

intelligentiam accōmo latior, & uberior, præsertim si multæ conglobatæ ponantur, ut. Antonius 2. de Orat. historiam describens ait, *Historia est testis temporum , lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuntia vetustatis.* M. Quot sunt descriptionis differētię? D. Variæ, ac multiplices: possunt enim deduci ex omnibus fere locis Topicis. v. g. A fine, Homo est animal æternæ vitæ adipiscendæ causa factū, ab efficiente, Eloquentia est ars, quæ nos facit loquēdi peritos: à materia, Rhetorica est ars, quæ res omnes verbis exornare potest: ab antecedentibus, Orator est, qui artem oratoriam didiscit: á similitudine, vel translatione, ut Somnus est imago mortis: á contrarijs, Virtus est vitium fugere, ac sapientia prima stultitia caruisse: ab adjunctis denique (ut locos omittam cæteros) á quibus petita descriptio tam latè patet, ut nulla, sine illis, auribus grata inveniri possit. Nos vero ad Topographiā, Cronographiam, & Prosopographiam omnes reducere possumus. M. Quid est Topographia? D. Locorum descriptio, ut provinciarū, &c. M. A quibus capitibus provinciæ describuntur? D. Ab alijs provincijs, quibus ea cingitur: à mari vicino, & portuoso (unde merces, & opes) vel remoto (unde procul absunt

pyra-

pyratarum pericula, & vitia, quibus illa convenarum colluvies laborare solet) á regibus, & principibus in ea regnantibus: à frugum ubertate: á fluviorum cursibus: à fontium liquoribus: à divitijs, & opibus: á rerum, quib⁹ abundat exportatione, & quibus caret, invectione: à moribus, & à multis ex ijs, quibus urbes laudantur, ac describuntur. Hanc locorum descriptionem historici facere tenentur, ut se occasio dederit, aliter ingrati futuri; poëtæ veró non solum ex veris locis descriptiones petunt, sed ex fictis à se, & tunc talis descriptio Topothesia vocatur, qualis est illa Virg. 1. Aeneid.

*Est in secessu longo locus, insula portum, &c.*

M. Quid est Chronographia? D. Temporis descriptio, ut si Auroram describeres á roseo eius colore, á Sole adveniente, ab avium garritu, à matutino rore, quasi gemmis, granulisque argēteis rerum formas coronante, ab aura salutari, & à tempore literis vacandi aptissimo, quod sit Aurora gratissima musis. Sed hæc temporis descriptio poëtis magis, quam oratoribus familiaris est. M. Quid est Prosopographia? D. Personarum etiam fictarū descriptio, quæ sumitur ab adjunctis animi, corporis, & fortunæ. Si vero persona ficta fuerit

describenda, ut Fama, virtus, Philosophia, &c. de coro servato id fiet, ab adjunctis, effectis, causis, & à paribus: quæ omnia in famæ descriptione sequenti facilè disces. Virg. 4. Aen.

*Fama malum, quo non aliud velocius ullum:*
*Mobilitate viget, viresq; acquirit eundo:*
*Parua metu primo, mox sese attollit in auras:*
*Ingrediturq; solo; & caput inter nubila cōdit.*
*Monstrum horrendum, ingens, cui quot sunt corpore plumæ*
*Tot vigiles oculi subter (mirabile dictu)*
*Tot linguæ, totidē ora sonāt, tot subrigit aures*

Et Ovidius 2. Meth. eleganter invidiam, sic ab adjunctis describit.

*Pallor in ore sedet, macies in corpore toto:*
*Nusquam recta acies: livent rubigine dentes:*
*Pectora felle virent: lingua est suffusa veneno:*
*Risus abest, nisi quem visi movere dolores.*

M. De hisce tribus descriptionum differētijs tredecim libros valdé utiles, in apparatu suo P. Melchior de la Cerda, é Societate nostra edidit, quos vide, & callidè imitare.

D. Huc etiam referri solent verbi notationes, & conjugata.

(?)

*De Ethymologia, Cognominatione, & Cõjugatis.*
*Cap. XXIX.*

M. QVid est verbi notatio? D. Ethymologia, quæ verborum originē indagat, unde dupliciter argumenta ducuntur, primū ex ipsa nominis interpretatione, ut si quis dicat Consulem non esse, qui reip. non consulit, cum consul à reip. consulendo dicatur: secundó á cognominatione. M. Quid est Cognominatio? D. Idem, quod vulgo dicitur, æquivocatio, cum verbum unum, duo, vel plura propriè, vel translatè significat, ut

*Aurea nunc verè sunt secula, plurimus auro*
*Venit honos, &c.*

Et valet plurimum ad jocandum: sic Cicero, in Verris nomen jocatur, quód omnia verrat, & quód quasi Verres, idest porcus, in voluptatis cæno volutari gaudeat. Hinc est illa in Philippi nomen vituperatio, & invidiosa eius interpretatio,

*Vbi est nota fœtoris, lippusq; laborat ocellis,*
*Vbi malus, & lippus; totus mal⁹ ergo Philip.*

Et illa Cic. in Ant. *At quam crebro usurpat, & consul, & Antonius? hoc est dicere, & consul, & impudentissimus, & consul, & homo nequissimus, quid enim est aliud Antonius?*

M.

M. Quæ sunt Conjugata? D. Quæ orta ab uno verbo varié commutâtur, ut Sapiens, sapiētia sapienter á Sapio. M. Vnde sic dicuntur? D. A bobus sub eodem jugo simul jūctis, quod sub eodem themate conjugata ponuntur. M. Quomodo á Conjugatis argumentum ducitur? D. Sic, Euripides, *Stultus stulta loquitur, tu stulta loqueris, ergo tu es stultus.* Et Sap. 6. *Qui Custodieri it justa justè, justificabuntur, custodi tu justa justè, & justificaberis.* M. Hæc de locis dicta sufficiant, unde non argumenta solum insita, sed omnis orationis copia, omnis dicēdi ornatus, omnia deniq; ad amplificandum inventa eruuntur. Restat, ut dicatur quid sit argumentum assumptum sive remotum.

*De argumentis assumptis,*
*Cap. XXX.*

Argumentum assumptum est idem, quod remotum, & artis expers, quod ab aliqua re externa, & remota, sine arte, sumitur, ut sunt testimonia divina, & humana, quæ orator non excogitat, sed extrinsecus oblata sibi, ad faciendam fidem, assumit. M. Quæ sunt divina testimonia? D. Quæ á Deo ipso, vel ab hominibus divino numine afflatis profe-

proferuntur, quæ si explicari possunt, negari certè non possunt: auspicia item, oracula, vaticinationes, prodigia, sacerdotum, aruspicum, & conjectorum responsa. M. Quæ sunt testimonia humana? D. Quæ ab hominibus pronunciantur, in quibus tria sunt spectanda, illustrium, sapientum, vel fide dignorum hominum autoritas: mortuorum testamento, legislatorum, magistratuum, vel principum consensu publico stabilita, litterisvè mandata voluntas: oratio, aut libera, quæ rumores, famam, tabulas, pacta, & spontanea promissa comprehendit, aut expræssa, quæ vi, minis, jurejurando, aut tormentis ex torta est. Quæ omnia, ut artis expertia summis eloquentiæ viribus tractanda sunt: præsertim ubi præjudicia fuerint adducenda, vel fides testibus abroganda. M. Quæ sunt præjudicia? D. Res, deliberationes, aut sententiæ, quæ, cum ex paribus causis antea sint judicatæ, habitæ, pronunciatę, judicaturis exemplum afferũt, quod sequantur. M. Quomodo fidem testibus abrogabimus? D. Artificiosè satis, si ostendamus eos esse vanos, quod facilè mentiantur: leves, quod sibi non constent: ignominia notatos, quod fuerint vitijs, & sceleribus contaminati: spe utilitatis adductos, incommodi metu perterri-

territos, iracundia commotos, gratia illectos, prece vel precio subornatos, ad testimonium dicendum, advenisse. Nostros veró testes illustres, graves, religiosos, & omni acceptione maiores, cum amplificatione, faciemus. Sic, Cicero, pro Arch. *Adest vir summa autoritate, & fide, & religione L. Lucullus, qui se non opinari, sed scire, non audivisse, sed vidisse, non interfuisse, sed egisse dicit.*

*De verborum, ac rerum amplificatione.*
*Cap. XXXI.*

M. QVid est Amplificatio? D. Gravior quædam affirmatio, quæ motu animorum in dicendo fidem conciliat, audientes ad iracundiam trahit, &ad misericordiam inducit. M. Quomodo efficitur? D. Verbis, & rebus. M. Qua verba sunt ad amplificandum apta? D. Quæ vim habent illustrandi, ut gravia, plena, sonantia, iuncta, cognomina, superlata, dissoluta, translatitia, iterata, & ascendẽtia, de quibus in Dialogo 3. Quatuor tamen modis á Cic. in part. Orat. verborum amplificatio fieri solet: Definitione, aut Descriptione, partium enumeratione, incremento, atque expolitione. Definitione, ut Cic. pro Milone.
*Vidi-*

*Vidimus templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consily publici, caput urbis, aram sociorum, portum omnium gentium, sedem ab universo populo Rom. concessam uni ordini, inflammari, excindi, funestari:* pro vidimus curiam incendi. Descriptione à consequentibus, ut Cic. ad Her. *Exhaustum in milites ærarium, fractam laboribus juventutem, segetes proculcatas, ab acta pecora, incensos vicos, desertos agros, oppugnatas urbes, eversa mænia, compilatas domos, direpta phana, tot senes orbos, tot liberos orphanos, tot matronas viduas, tot virgines violatas, corruptos mores, luctus, lachrymas, funera, artes præterea extinctas, opressas leges, contemptam religionem, confusa humana, divinaq; omnia, tibi uni tantorum malorum autori accepta referimus.* Pro tibi uni bellum acceptum ferimus. Partium enumeratione, ut Cic. 2. in Cat. *Rēp. Quirites, vitamq; omnium vestrum, bona, fortunas, conjuges, liberosq; vestros, atq; hoc domicilium clarissimi impery, fortunatissimam, pulcherrimamq; urbem, hodierno die, Deorum immortalium summo, erga vos, amore, laboribus, consilys, periculisq; meis, ex flamma, atq; ferro, ac penè ex faucibus fati ereptā, & vobis conservatā, ac restitutā videtis.* Pro Vrbē hodie conservatam videtis. Incremēto: ut Cic. 3. in Ver. Non

*Non enim furem, sed raptorem, non adulterũ, sed expugnatorem pudicitiæ, non sacrilegum, sed crudelissimum carnificem civium, sociorumque in vestrum judicium adduximus.* Pro Hominē omnium nequissimum adduximus. Expolitiones deniq; cum varijs modis eandem sententiam commutamus, quam expolitionem habes in Virgilij calce de imagine in unda, de amne glacie concreto, de iride, de ortu Solis, de signis cælestibus, ac de quatuor anni tempestatibus, cujus Cicero mirificus est artifex, qui rem eandem cōmutatis verbis varié tractat, & judicibus inculcat, ut pote qui magnā optimorum verborum copiam sibi comparaverat. M. Hæ omnes verbi amplificandi rationes pulcherrimę mihi videntur. D. Et sunt apud Ciceronem frequentissimæ: quibus si actio vocis, vultus, & gestus congruat, apté animos permovebimus. M. Rerum amplificatio unde sumitur? D. Ex eisdē locis omnibus, unde argumenta fidem facientia eruuntur. Vndecim tamen Cic. in part. Orat. frequentiores his verbis enumerat. *Valent autem plurimum definitiones conglobatæ, consequentium frequentatio, & contrariarum, & dissimilium, & inter se pugnantium rerum conflictio, & causæ, & ea quæ sunt de causis orta, similitudines, exem-*

*ſæ, & ea quæ ſunt de cauſis orta, ſimilitudines, exempla ficta etiam perſonæ, muta deniq; loquātur:* de quibus exempla jam adduximus, & alibi, quæ reſtant, adducemus.

### *De tribus aliis amplificandi modis.* *Cap.* XXXII.

D. AD res item amplificandas multi digreſsionibus, locis communibus, & Chrijs utuntur. M. Quid eſt Digreſsio? D. Parecbaſis, Egreſsio, vel excurſus, cum cauſa jam probata, in ejus utilitatem, extra ordinē, non extra propoſitum, excurrimus, rem aliquam, vel perſonam vituperantes, aut laudibus efferētes. Verbis tamen adhibitis, quibus egreſſus, & regreſſus, cum opus fuerit, ſignificentur. M. Quotuplex eſt? D. Quadruplex, Producta, Repetita, Derivata, & Annexa. M. Quæ eſt Digreſsio producta? D. Omnium optima, cum cauſa jam probata, contrarijs argumentis reprehenſis, & noſtris confirmatis, aut operi quovis abſoluto, ad auditorum animos reflectendos, incitandos, docendos, vel oblectandos, in res non prorſus alienas digredimur: ut Cic. pro Archia, qui in humaniorū litterarum laudem, locupletandæ orationis

gratia, post confirmationem, excurrit: & Virgilius, qui in singulis Georgicarum libris variè, ac longè immoratur, ut fessos recreet auditores. M. Quæ est repetita? D. Quæ altius rem diducit, ut si quis de Christi assertoris nostri nece dicturus, à primorum parentum lapsu, principium ducat, ut auditores præparet, apertiusque tormentorum causam exponat. M. Quæ est derivata? D. Procursio, quam res ipsa sua sponte offert, vel ad laudandum aliquid, ut Cic. pro Cornelio, qui ex Pompeij nomine occasione sumpta, cursum dicendi tenuit, & abrupto, quem incoarat, sermone, ad ejus laudes divertit. vel ad rem dilucidius exponendam, ut Cic. act. 6. in Ver. qui Syracusas describit, ut melius Marcellum cum Antonio conferat. M. Quæ est annexa? D. Interruptio, quæ, extra propositum, breviter infertur, quasi parenthesis: quæ vitiosa erit, nisi eò celerius revertamur, unde fueramus digressi. M. Vnde tales digressiones sumuntur? D. A rebus gestis, à locorum, regionum, urbium, vel personarum descriptionibus, à fabulis, apologis, & locis communibus. M. Qui sunt loci communes? D. Theses, vel quæstiones infinitæ, quæ alicujus personæ, aut rei tã bona, quam mala in communi amplificant,

quibus Cic. mirificè delectatur: in paradoxis præcipuè, quę omnia locorum communiū exempla sunt dignitatis plenissima. Dicūtur autem communes, quod communiter omnibus, quæ sunt ejusdem generis, conveniunt: & ab hisce potissimum capitibus tractantur: Ab argumentis assumptis, à dissentaneis, à comparatione majorum, parium, aut minorum, ab expositione facti, ab utili, honesto, delectabili, æquo, facili, vel his contrarijs; quibus vel luxuriam, libidinem, avaritiam; verbo uno, vitia omnia vehementer increpamus; vel virtutes copiosè laudibus extollim⁹; vel humanæ vitæ conditionem, adversæ fortunæ acerbitatem, miseræ servitutis incommoda conquerimur, vel de honoribus, magistratibus, litteris, bono, & æquo varié disputamus. Horum exempla per pulchra passim obvia apud Ciceronem, Pro Archia, de poëtis; pro Murena, de legibus, & armis; pro lege Manilia, de imperatore; pro Planco, de fama; pro Cælio, de Adolescentia, &c. qui loci tantum momenti habent ad locupletandam orationem, ut multi eos falso Chrias appellent, quod sint maximè utiles.

*De Chria, & ejus partibus.*
*Cap. XXXIII.*

M. QVid est Chria? D. Vsus, vel exercitatio Rhetorica ad amplificandam sententiam, vel factum alicujus personæ: atq; his octo capitibus locupletatur. Ab encomio, sive laude autoris: 2. A paraphrasi, vel expositione dicti, vel facti, vel utriusq; simul; 3. A causis. 4. A contrarijs. 5. A similitudine. 6. Ab argumentis assumptis. 7. A veterũ exemplis. 8. Ab epilogo, seu per oratione. Et exercitatio hæc omnium maximè utilis est, ac necessaria Oratori humano, & divino, ad dicendum vel accuratè, vel ex tempore, & ad scribendũ copiosissimè. M. Propone nobis paradigma, quod æmulantes, & per capita singula discurrentes, ejus omnes partes exprimamus. D. Morem tibi geram libentissimè; dum mihi sententiam præbeas dilatandam. M. Fac te, illam Salomonis sententiam Prov. 12. *Qui sectatur otium stultissimus est*, velle amplificare, quid facies? D. Ab encomio primum laudabo Salomonem, quod fuerit sapientissim°, & apprimè divinitus edoctus. Paraphrasi deinde brevi, eandem sententiam commutatis verbis exponam, & exornabo; non enim jejune,

né, atq; exiliter enuntianda est. Præterea à causa efficienti probabo, quod otium sit omnium malorum fons & origo, & à conglobatis & fine, quod otiosos vecordia, & ignavia sua sese in inferorum baratrum agant præcipites, quod summa stultitia est. Post, à contrarijs ostendam, quod ex labore, ac diligentia omnia & animi, & corporis, & fortunæ bona proficiscuntur. Et utrumq; per comparationem agri culti, & inculti, & per alia similia planum faciam. Ad hęc; ab argumentis assūptis sententiam dictam corroborabo, veterum testimonia, tam divina, quam humana, afferēdo, quæ mihi extrinsecus oblata, ad fidem faciendam assumam. Deniq; ipsius Salomonis exemplo, & aliorum eandem illustrare, atque munire conabor. Quibus omnibus expositis brevem epilogum subjiciam, ubi superiora capita paucis verbis, quasi per enumerationem, perstringam; & hortatiuncula quadam omnes ab otio deterrebo, & ad sustinendum, & abstinendum leviter excitabo. M. Theoremata hæc intellectu facillima sufficere videntur. Sed age dic ubi praxis invenietur? D. Apud Aphtonium sophistā, & ejus progymnasmatum expositores : mihi vero illā Ciceronis est satis, à qua librum Officiorum tertium,

tium ita exorditur: *Publium Scipionem, Marce fili, eum, qui primus Africanus appellatus est, dicere solitum scripsit Cato, qui fuit ferè ejus æqualis, Nūquā se minus otiosum, quā cū otiosus: nec minus solū, quā cū solus esset. Magnifica vero vox, & magno viro, ac sapiente digna, quæ declarat illū, & in otio de negotijs cogitare, & in solitudine secū loqui solitū.* Et quæ ibi sequuntur. Mirum quantum sententiæ sic amplificatæ eloquentiæ campos, quasi fontes fæcundent: quasi lumina res demonstrent, quasi fulmina pectora moveant; & quasi prata, flores, aurum lapilli, cælum sydera, omnia exornent.

(:?:)

DE

# DE ARTE RHETORICA.

## DIALOGVS SECVNdus de Dispositione.

### *Quid, & quotuplex sit Dispositio, & quibus constet partibus.*

CAP. I.

M. QVID est Dispositio? D. Rerum inventarũ in ordinem distributio. M. Quotuplex est? D. Duplex una prudentiæ, altera doctrinæ. De hac nunc agimus: illam prudentibus relinquimus, qui pro arbitratu suo, quid causæ, personis, loco, & tẽpori conveniat, judicabũt. M. Doctrinæ dispositio in quot partes dividitur? D. In septẽ, ut nonnulli malunt, Exordiũ, Narrationem, Propositionem, Partitionem, Confirmationem, Refutationem, & Epilogũ. Dicunt enim, vel naturam ipsam, has partes, ita

ita esse colocandas, præscripsisse, ut nobis auditores conciliemus, & attentos faciamus, rē narremus, orationis argumentum, & capita proponamus, confirmemus nostra, refutemus aliena, & concludamus. Sed nos, cum Cicerone, in quatuor partes eā dividimus Exordiū, Narrationem, Confirmationem, & Epilogum. Propositionem veró, & Partitionem ad exordium, vel narrationem; refutationem ad confirmationem aptius reducemus.

*De Exordio.* *Cap. II.*

M. QVid est Exordium? D. Orationis principium, quo auditores benevolos, dociles, & attentos facimus, ut amicè, ut intelligenter, ut attentè audiamur. M. Vnde benevolos auditores facimus? D. A personis nostris, patroni, clientis, judicum, audientiū, adversariorum, & á rebus ipsis. M. A nostris personis quomodo? D. Si merita, dignitatem, & virtutes commēdamus. Merita, ut Cic. pro Flaco, & Plancio: dignitatem, pro Murena, & Balbo: virtutes, pro Rabirio, & 1. in Verrem. M. Patroni virtutes, quæ sunt? D. Officium integritas, modestia, &c. M. Clientis? D. Fides, continentia, pietas, innocencia,

M.

M. Iudicum? D. Aequitas, justitia, fortitudo, & sapientia, in quibus nos spem habere dicemus. M. Qui auditorum benevolentiam captabimus ab eorum personis? D. Si eos nobis præposuerimus, ut Cic. pro Roscio Am. M. A b adversariorum personis? D. Ab eorum maleficijs, ut pro Roscio Am. Mil. Cecinna, & 1. in Verrem. Ab indignitate, ut in Vatinium, & pro Deiotaro: ab improbitate, ut pro ipso Deiotaro, & Roscio. His enim eos in odium, contemptum, & invidiam adducemus. Odio namq; flagrabunt, si eorum perfidia, nocendi cupiditas, libidines, furta, & cædes auditoribus innotescant: contemnentur, si pareat eorum indignitas, generis obscuritas, propinquorum sordes, ignavia, & inscitia: invisi reddentur, si detracta opinione probitatis, calliditas eorum, versutia, fastus, potentia, divitię, audacia, & factiones proponantur. M. A rebus ipsis quomodo benevolentia nascitur? D. Si rem nobis susceptam modestè laudamus, quod sit honesta, utilis, delectabilis, & maximè necessaria: etsi à contrarijs contrariã caussam vituperamus. M. Docilitas unde ducitur? D. A quatuor his potissimum rebus, Si totius rei tractandæ summam exordio subjicias, ut Cic. pro leg. Man. *Dicendum est enim*

*de Cn. Pompeij singulari eximiaq; prudentia.* Si definias, ut in Verrem act. 6. *Venio nunc ad istius, quemadmodum ipse appellat, studium; ut amici ejus, morbum, & insaniam; ut Siculi latrocinium: Ego quo nomine appellem, nescio*, &c. Si dividas, & in duas, tres, ad summum quatuor partes ordinatè rē distribuas: in duas, ut pro Cælio: *Sunt autem duo crimina auri, & veneni*. In tres, ut pro leg. Man. *Primum mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tū de imperatore deligendo esse dicendum.* In quatuor, ut pro Sestio: *Dicam ego de omni statu. P. Sestij, de genere vitæ, de natura, & moribus; de incredibili amore in bonos, de studio conservandæ salutis communis.* Si denique nihil confusè, ac perturbatè dicas. M. Vnde comparatur attẽtio? D. Ex rebus ipsis, quibus benevolentia, & docilitas: sed multó melius ex his quatuor adjunctis, Magnitudine videlicet causæ, necessitate, utilitate, atque orationis brevitate proposita. Res enim magnæ majorem attentionem concitare solent. Cic. pro C. Rab. *Sic enim existimare debetis, Quirites, post hominum memoriam, rem nullā majorem, magis periculosam, magis ab omnibus vobis providendam, neq; à Tribuno plebis susceptam, neq; à Consule defensam, neque ad populum Rom. esse delatam.* Res necef-

necessariæ, ut vita, & quibus ipsa retinetur, comprehendunt etiam res charas, utiles, & honorificas, ut parentes, conjuges, liberos, vectigalia, pecunias, honores, dignitates, quę omnia fere, in 3. Cat. colligit Cic. sic: *Rempub. Quirites. vitamque omnium vestrum, bona, fortunas, conjuges, liberosque vestros, atq; hoc domicilium*, &c. & idem utilitatem ita cōmendat, ut nullam ferme causam defenderit, quam auditoribus esse utilem, atque communem non persuaserit. Sed tu vide secundam, & tertiam in Verrem, & pro Roscio Am. Brevitatis denique spem ostendemus, si dum hortamur ad nostram orationem attentè audiendam nos, neq; diu moraturos, neque quidquam extra causam allaturos esse dicamus.

*De Insinuatione.* Cap. III.

M. Si causa non fuerit honesta, sed turpis, dubia, humilis, aut obscura, quomodo tres supra dictos affectus movebimus? D. Insinuatione. M. Quid est insinuatio? D. Oratio prudēs, quæ ocultè per dissimulationē exordij munere fungitur. In causa nāq; turpi, pro re fœda personam honestam, & pro persona infami rē pulchrā interponemus, auditoresq; nobis conciliabimus astutè à veris incoantes,

quæ

quæ luce clariora sint, & nobis minimè noceant: tum per commiserationem ex rei calamitate, tum per simulatam quandam virtutem, & simplicitatem, nam vultu, verbis, & gemitu efficiemus, ut simplices, sinceri, aperti, ac veraces esse videamur, tum á personarum attributis fidem faciemus: id quod callidè fecit Sinon Virgilianus 2. Aeneidos, in hac sua insinuatione omnium pulcherrima:

*Cuncta equidē tibi rex fuerint quæcūq; fatebor*
*Vera, inquit, neq; me Argolica de gente negabo,*
*Hoc primum. Nec si miserum fortuna Sinonem*
*Finxit, vanum etiā mendacēq; improba finget.*
*Fādo aliquid si forte tuas pervenit ad aures, etc.*

In causa dubia, partim scilicet honesta, partim turpi, hac relicta, illam tractandam assumemus, ut si defendamus patrem latronem, nulla furti mentione facta, á filij officio ducemus exordium. In humili, magnam, & novam esse simulabimus, ut Virgilius 4. Georgicorum, qui de apibus dicturus sic exorditur:

*Admiranda tibi levium spectacula rerum,*
*Magnanimosq; duces, totiusq; ex ordine gētis*
*Mores, & studia, & populos, & prælia dicam.*

In obscura, nos ita apertè, ac planè dicturos esse promittemus, ut nihil apertius, & planius

esse

esse videatur. Auditores vero deffessos urbanitate, ac brevitatis spe recreabimus, ut Demosthenes, qui defatigatos judices fabula illa de asini umbra lepidissimè narrata ad se audiendum erexit. Alienatos à nobis, & pené contrarij oratione convictos, eam eludendo, eosq; laudando reficiemus: ut Cicero, pro Q. Ligario, qui cũ videret abesse Cæsaris animũ á Ligario, crimen elusit, illa eleganti ironia, *Novum crimen C. Cæsar*, &c. & ipsum Cæsarem laudatum Ligario conciliavit. Hic etiam habent locum, quæ de locis ingenuis dicemus infra.

### *De Rebus ad exordiendum aptis.* *Cap. IIII.*

M. Vnde aptius exordia capiuntur? D. Liberrimé ex ijs, quæ causæ genus exigit: ducentur autem commode è causis efficientibus, ut pro lege Manilia: & á fine, ut pro M. Marc. quæ exordiendi ratio omnium præstantissima, & á Cicerone usitatissima est: ab adjunctis causarum, & personis, & rebus, ut pro Balbo, á circunstantijs, v.g. à tempore, ut pro Cælio: á loco, ut pro Deiotaro: à re insolita, ut pro Milone: á precatione, ut pro Murena: à simili, ut pro Domo sua: ab histo-

ria,

ria, ut 2 de Divinit. à sententia, ut officiorum 3. ab adversarij dicto, ut Philip. 9. à petitione, ut in Cat. 1. ab ironia, ut pro Ligar. á partitione, ut pro Cluent. à metus commotione, ut pro Dejor, à prolepsi, ut pro Rabirio ab officio, ut pro Archia, & similib⁹. M. Cujusmodi exordia esse debent? D. Pressa, verecunda, simplicia, non tumidis, & affectatis, sed lectissimis verbis apta, & instructa sententijs, quibus non modo auditor alliciatur, & incitetur, contrariusq; feriatur, sed etiam causa primo quasi colore adumbretur. M. Semper ne exordia primum orationis locum occupant? D. Semper, solent vero exordiola quædam in tota oratione admisceri, quibus attentio, docilitas, benevolentia renovantur: tædium, & molestia discutiuntur, dicta excusantur, dicenda præmolliuntur. v.g. Magna sunt hæc, & quidem admirabilia, sed levia vobis fortasse videbuntur, si cum his, quæ restant, conferantur. Audistis largitione, corruptela, sanguine, ac fœdissimis artibus paratum honorem; nunc ostendam illud, quod turpiter est adeptus, turpius administrasse. Pluribus á me verbis hæc dicta sunt; quam voluissem: dicam paucioribus quæ supersunt. Adeste quæso, res magna, & ardua sequitur, qualem vos aut

raro

raró aut nunquam auribus accepistis. & sexcenta alia quæ alij transitiones appellant, & de quibus nos alibi non nihil diximus.

*De Exordiorum vitijs, & quemadmodum vitari possint.*

C A P. V.

M. QVot sunt exordiorum vitia? D. Cicero de Invent. 1. septem enumerat Vulgare, Commune, Commutabile, longum, separatum, translatum, & contra præcepta. M. Quod est vulgare? D. Quod multis causis, varijsque orationibus accommodari potest. M. Commune? D. Quo adversarius etiam uti valebit. M. Commutabile? D. Quod in autorem poterit retorqueri. M. Longũ? D. Quod pluribus verbis, aut sententijs producitur. Oportet enim proportione rerum principia præponere: esset enim monstro similis homo prægrandi capite, & parvo corpore præditus. Non inficior tamen exordia posse nonnunquam amplificari, quod Cicero multis in locis facit, ut pro Roscio, Quint. Rab. & in Catilina. M. Quod est separatum? D. Quod ex ipsa causa non ducitur. M. Translatum? D. Quod aliud præstat, quam causa postulat, ut si, pro benevolentia, attentionem captet.

M.

M. Quod eſt exordium contra præcepta? D. Quod neq; benevolum, neq; docilem, neq; attentum auditorem facit. M. Qua ratione vitia hæc fugiemus? D. Si his Ciceronis verbis obſervatis, eum imitabimur. *Quod primum inquit, eſt dicendum, poſtremò ſoleo cogitare, quo utar exordio.* M. Cur id Cicero faciebat? D. Quia ex cauſarū viſceribus naſci debet exordium, ut ſi quid orationi noſtræ obſit, à principio amoveatur. M. In cauſarum generibus qualia eſſe debent exordia? D. In Demonſtrativo maximè libera; in Deliberativo parva, vel nulla, quia deliberantes, ſua ſponte, parati ſunt ad audiendum: in Iudiciali, accuſator in reum acerbos judices efficiet, & ad ſævitiam excitabit; defenſor conflati criminis querelam afferet, & ad miſericordiam alliciet: uterq; vero commune eſſe periculum oſtendet.

### *De Narratione, ac de ejus varietate. Cap. VI.*

M. QVid eſt Narratio? D. Rerum ad cauſam pertinentiū explicatio. Vbi quædam argumentorum ſemina ſparguntur, ut ſint quaſi totius confirmationis fundamenta: &

& eſt in genere judiciali ſemper neceſſaria: in deliberativo nunquam adhibetur: in demonſtrativo cum amplificatione, & confirmatione mixta continuatur, ubi, expoſita re, in locum aliquem communem maximè plauſibilem, & ſatis amænum ſpaciari poſſumus, ut narrationis tædium excutiamus. M. Quotuplex eſt? D. Triplex, hiſtorica, poëtica, & oratoria. M. Quæ eſt hiſtorica? D. Quæ res geſtas ita narrat, ut nihil invertatur, commutetur, poſtponatur, ſed in omnibus temporis ordo conſervetur. M. Quæ eſt poëtica? D. Qua fabularum actores, comæ di, tragædi, & epici, pro arbitratu ſuo, ad jucunditatem utuntur, à medio incipientes, ut paulo poſt perſonas inducant, á quibus res prius factæ illuſtrius referantur, ut docuit Ariſtoteles, fecitq; Virgilius. M. Quæ eſt oratoria? D. Quæ ad utilitatem cauſæ refertur, & debet eſſe ſuavis, ac dulcis, ut jucundè audiatur: brevis, ut in memoria facilé conſervetur: aperta, ut rectè intelligatur: probabilis, ut credatur,

*De quatuor narrationis virtutibus, ac de propoſitione, & partitione. Cap. VII.*

M. Qui ſuaviter narrabimus? D. Si rebus magnis, novis, inauditis, lætis, admirabilibus,

rabilibus, & verbis jucundis, sonantibus, & lenissimis fuerit aspersa narratio, & habuerit admirationes, expectationes, exitus inopinatos, interpositos motus animorum, colloquia personarum, dolores, iracundias, metus, lætitias, & cupiditates. M. Qui breviter? D. Si semel dicta non repetuntur, si necessaria narrãtur, si quæ non juvant, prætermittuntur, si res nudæ commemorantur, & exornationes tanquam vestes, & ornatus orationi detrahũtur. M. Qui apertè? D. Si dilucidæ orationis præcepta (ut alibi docemus) observantur. M. Qui probabiliter? D. Si cum hominum opinione, autoritate, lege, more, ac religione fuerit con juncta, & testata narratio: & cui sex illæ circumstantiæ adhibeantur, personæ, res, locus, auxilia, causæ, modus, & tempus, quas omnes pro Milone Cicero adhibuit. Qui solet etiam post narrationem, capita ejus brevissimè indicare, in confirmatione defendenda, vel refutanda, ut fecit pro Roscio sic: *Pater occisus nefariè, domus obsessa, ab inimicis bona adempta, possessa, direpta, filij vita infesta, sæpe ferro, atq; insidijs appetita*, &c. Solet etiam eadem capita non omnino nuda, sed argumentis obiter adductis vestita, & affectibus plena proferre, ut pro Milone: *Hæc sicut exposui, ita*

*gesta*

*gesta sunt*, &c. in quorum fine quam brevissimè tractanda proponit ea, in quibus omnis controversia vertitur, sic: *Nunquid igitur aliud in judicium venit, nisi uter utri insidias fecerit? profectò nihil. Si hic illi, ut ne sit impunè; si ille huic, tum nos scelere solvamur*: & hæc dicitur propositio. M. Quid est Propositio? D. Oratio simplex, qua narratio in brevem summã, ut modo dixi, redigitur. Si vero multiplex fuerit, partitio appellatur, quæ est quæstionis in partes distributio, ut pro Mur. *Intelligo, judices, tres totius accusationis partes fuisse: & earum unam in reprehensione vitæ, alteram in contentione dignitatis, tertiam in criminibus ambitus esse versatam.* Vbi est animadvertendum, ne quid redundet, aut desit, & quo fuerint ordine propositæ partes in confirmatione roborentur.

### *De Confirmatione. Cap. VIII.*

M. QVid est Confirmatio? D. Causa, in qua tota quæstio disputatur, nostræ causę fides adjungitur, alienæ abrogatur, utrinque dubiorum nodi solvuntur, & ex qua vincendi spes, persuadendivè ratio dependet. Quare omnium partiũ habetur præstãtissima, æquè

ac difficilima, quippequæ non præceptis tantum, sed acuto ingenio, præstantiq́, judicio, maximé indiget. M. Vnde confirmatio facilius ducetur? D. Ex partibus propositionis, aut partitionis, & ex hypothesis generibus. M. Quomodo ex propositione, vel partitione confirmabimus? D. Vt Cicero in omnibus fere orationibus, quæ in judiciali, ac deliberativo genere versantur: exemplo tamen nobis pro lege Manilia Ciceronis oratio esse potest, in qua sic partitionem distribuit, *Primū mihi videtur de genere belli dicendum, deinde de magnitudine: tum de imperatore deligendo.* Quæ, ut proposuit, ita singula confirmavit, transitionibus usus, quæ auditores docent, delectant, reficiunt. Nam cum primum partitionis membrum absolvit, sic auditores admonuit, *Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine dicam:* hanc ut probavit, hæc subjunxit: *Satis multa verba fecisse videor, &c. restat, ut de imperatore ad id bellum deligendo, ac tantis rebus præficiendo dicendum esse videatur.* Sunt, & alij transitionū modi, qui privatim ibi adhibentur, ubi docilitas, benevolentia, vel attentio instauranda est, ut sæpe in epistolis cōtingere solet, vel in orationibus, quæ plura habent capita, hoc modo; Quæ diximus

jucunda fuere, sed non minus jucunda, quæ dicenda restant; Audiſtis graviſsima, audite graviora; Sed triſtibus omiſsis ad læta revertamur; Hactenus quæ privatim, nunc quæ publicé dicam; De moribus habetis, deinceps de doctrina dicamus. Iam ad alia propero, ſi prius breviter dixero; Sed quid in re manifeſta probanda immoror? de his ſatis ſuperque ad alia veniamus; Habes quæ in illum contuli beneficia, num quam retulerit gratiam audi. Quibus tranſitionibus, & alijs ſimilibus (ut paulo ante diximus) nos utemur, quando nobis, ex una in aliam diſtributionis partem, tranſeundum eſt.

*De Confirmatione ex tribus cauſarum generibus ducta. Cap. IX.*

M. Quomodo ex Theſis, & Hypotheſis generibus cauſam noſtrā roborabimus? D. In deliberativo, ut An ſit bellum gerendū, imperator creandus, arx munienda, conſuetudo ſervanda, lex ferenda, &c. confirmabimus á neceſſario, poſsibili, facili, utili, honeſto, delectabili, & á rerum ſtatu. In judiciali, ſi ſtatus eſt conjecturæ, probabimus accuſationem eſſe veram, & reum voluntatem, cauſam,

& potestatem habuisse, ab indicijs, testibus, instrumentis, jurejurando, vel aliqua juris dispositione. Si qualitatis tuebimur, factum esse injustum, contra æquitatem, legem, & usum. Si finitionis, rem tali nomine afficiendã esse, in definitione, vel descriptione comprehendi, usuique communi respondere, & á contrarijs contraria confirmabimus. In demonstrativo personas laudamus, vel directè, vel oblique: si directè, sanctum aliquem, virum absentem, vel defunctum, per amplificationem extollemus á tribus fortunæ, corporis, & animi bonis; si oblique, gratulantes, vel gratias agẽtes, per amplificationem, & comparationem fœlicem rei exitum, aut beneficium in nos collatum, & virtutem, qua id præstitit, commendabimus à locis, & circumstantijs, quæ non ad gravitatem solum, sed ad varietatem, copiam & ornatum omnibus quæstionibus adhiberi debent. Cognita enim quæstione, investigabimus ejus causas, effecta, adjuncta, consentanea, dissentanea, divisionem, definitionem, & quæ fuerint de re proposita á Deo, sanctis, doctoribus, phylosophis, & antiquis pronunciata, quæ hinc inde sunt oratori conquirenda, ut argumenta insita, quo fuerit opus ordine, dispo-

disposita, & magis causæ accommodata, assumptorum varietate decorentur.

*Exemplum confirmationis ducendæ ab omnibus locis Topicis. Cap. X.*

M. PER gratum mihi facies, si exemplo aliquo id, quod modo dixisti, explicaveris? D. Placet, elige tibi aliquid laudandũ, vel reprehendendum. M. Eligo mihi eloquétiæ studium: qua ratione confirmabo esse amplectendum? D. Dixi jam ab honesto, utili, & delectabili artes esse laudandas: quare eloquentiæ honestas, utilitas, & delectatio à locis, quos elegeris, confirmari poterunt. M. Quomodo honestatem confirmabo ab æthimologia? D. Quod ars à po tes arctes, id est, á virtute dicitur. M. A definitione? D. Quod sit ars benedicendi, perpetua sapientiæ comes, elegantiæ magistra, disciplinarum lumen, & animorum domina, cujus beneficio Rhetor hominibus antecellit, in quo ipsi bestijs maximè præstant. M. A divisione? D. Quod cũ aliæ sint sordidæ, aliæ liberales, inter omnes eloquentia in omni libero populo semper floruit, ac dominata est. M. A fine? D. Quod dictione persuadeat, & in quemvis motum audientium animos impellat.

M. A causa efficiente? D. Idem est ab autore Deo, & inventore, quem laudabimus ab adjunctis, ut quó hic præstantior, eó illa insignior existat. M. A forma? D. Id est ab oratione copiosa, distincta, & ornata, rebus, personis, locis, ac temporibus valde accommodata, qua nihil ad permovendos animos efficacius, nihil ad honores comparandos utilius. M. A materia? D. Id est á rebus omnibus, artibus, & scientijs, in quibus, & de quibus eloquentia instructi ornatissimé loquuntur. M. Ab effectis? D. Quia vir bonus dicendi peritus graviter, perpolite & suaviter dicens respublicas cōstituit, bella, & lites dirimit, amicitias comparat, mærentes consolatur, afflictos excitat, elatos cohibet, á vitijs revocat, ad virtutes incitat, mentes allicit, volūtates, quó vult, impellit, unde vult deducit, & ut canit poëta Aenid. 1.

*Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.*

M. Ab adjunctis, quæ circumstant? D. Quia Eloquentia sui studiosis honori, utilitati, & gratiæ, amicis auxilio, inimicis terrori, patriæ ornamento, & religioni splendori esse solet: ubi de ejus dignitate præstantia, & antiquitate agi poterit. M. A consentaneis? D. Quia quemadmodum imperator, fortissimorum militum

militum præsidio septus, in confertissimam hostium aciem, fidenter irrumpit, ut ferro victoriam sibi comparet: sic orator Rhetoricæ artis auxilio munitus, cominus lingua, eminus calamo viam sibi, per hominum animos, ad triumphos reportandos, aperit: nam quãtum in bello ferrum, tantum in bello, & in pace valet oratio. Gloriosus imperator, gloriosior tamen orator: hujus aures litterarum cõcentu, illius tubarum cantu personant: hujus oculi lectione, illius internecione pascuntur: hic in finibus cupiditatum regendis, ille in finibus imperij proferendis occupatur: urbes hic regit, & conservat: ille capit, & evertit: homines hic reficit, ille interficit: multos hic in libertatem perducit, ille in servitutẽ abducit.

*Confirmatur à cæteris locis Eloquentiæ studium esse amplectendum. Cap. XI.*

M. A Majori ad minus quomodo idem cõfirmabimus? D. Sic, Si vix homines eos esse ducimus, qui non studio, & labore rationem meliorem efficiunt, quis non ab hominum societate removẽdos illos arbitretur, qui sermonem non excolunt, sine cujus luce ingenij vis enitescere nõ potest. M. A minori

 ad

ad majus? D. Sic, Si ut divitias brevi perituras comparet, ut inquit Horat. lib. 1. epist. 1.

*Impiger extremos currit mercator ad Indos,*
*Per mare pauperiē fugiēs, per saxa, per ignes*

Quanto diligentius exquirenda est eloquentia, quę homines in excellenti honore, ac dignitate collocat. M. A pari? D. Si animantia rationis expertia, muta dicimus: & mutos, aut male loquentes, rationis expertes, & belluas merito dicemus, quod bene, vel male loqui, & ratiocinari eadem inter se quasi naturæ cognatione junguntur. M. A dissentaneis? D. Quemadmodum Deo gloriosum est linguam hominibus fuisse impertitum, qua suadere, afficere, flectere alios possemus; sic nobis turpissimum erit eandem industria tueri, & ornare noluisse. M. A dissimili? D. *Cætera studia neq; temporum sunt, neq; ætatum omniū, neque locorum; hæc studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium, ac solatium præbēt, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.* M. Exemplorum satis de honesto suppeditasti, experire obsecro idem de Vtili, & Delectabili? D. Quod dixi de honesto, idem de utili, ac delectabili dictū puta. Nam quidquid honestum est, idem & utile,

utile, & jucundum à bonis viris habetur. Eloquentiæ tamen utilitas; & jucunditas poterunt haud difficile describi, dividi, conferri, & amplificari ab antecedentibus, consequentibus, contrarijs, repugnatibus, & causis, quæ illam utilem, & jucundam faciũt. Ab effectis item colligemus quot, & quantas utilitates, & voluptates cujuscumq; ordinis hominibus attulerint. A consentaneis deniq; confirmabimus, nihil esse nobis utilius, nihilq; jucundius, si singula exemplis illustriora fecerimus.

*Qui loci, cuiq; causarum generi fiat aptiores, & quæ confirmandi methodus facilior habeatur.* Cap. XII.

M. HI loci omnes incidunt in quamlibet quæstionem? D. Licet omnes in aliquam incurrant, sæpe tamen alij alijs quæstionibus magis accommodantur. Nam ut hastæ velitibus amentatæ, sic apta quædam, & parata singulis statibus locorum argumenta traduntur: conjecturæ, causæ, effecta, adjuncta, testimonia divina, & humana convenientiora videntur: Definitioni contraria, dissimilia, paria, descriptiones, causarum enumerationes, ac definitiones potissimum adhibentur: Qualitati, adjuncta, comparata, similia, dissi-

dissimilia, majora, minora, paria, causæ, conjugata, & circumstantiæ maximè conveniunt.
M Si forte nihil horum adolescenti orationē meditanti occurrit, quid faciet? D. Nihil volenti difficile: Assumat considerandi, & legēdi spatium (quod nulla unquam scribēdi, aut loquendi celeritas auferet) autores diligenter evoluat, qui de re illa, quam meditatur, meliꝰ scripserunt, transcribat aliqua, notet reliqua, quæ post, suæ orationi inserat, singula mente perlustret, quid sibi, quid rei, quid tempori, quid auditoribus quadret. Secus enim faciēti eveniet, quod accumbēti, qui cum sibi nihil paraverit, illico, sibi semel Heus inclamanti, credat, quasi virgula divina, conquisitissimas epulas fore supeditādas. Verba igitur ex probatis autoribus deligat, sententias eruat, rationes inquirat, locos scrutetur, mutet, transmutet, addat, detrahat, sententias verbis, & verba sententijs ornet, non oneret: ita ut rationibus, & rebus illuminaté argumentationes confirmet. Materia sic, & lauta orationi suppellectili comparata, excogitando sibi Thesim proponat, sive argumentùm, quod rei confirmandæ omnino conveniat: deinde argumenti, vel Thesis probationes eligat: tum Hypothesim, quam probare vult, assumat: postea

sea confirmet: ad extremum, orationis statũ eliciat, & concludat. Quod qui ignoraverit, nullam rectè confirmationem, nedum orationem, efficiet.

*Hæc Methodus confirmãdi ad praxim reducitur. Cap. XIII.*

M. Occurrit tibi hujus dispositionis exẽplar? D. Et quidem singulare: in oratione, pro Milone, cum Cicero probare vellet Clodium jure fuisse interfectum, has quinq; partes sic excogitavit:

*Omnis insidiator, & latro jure interficitur:* Hæc est thesis, sive Propositio, & probatur sic:

*Hoc & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipsa præscribit, ut omnem semper vim, quacunq; ope possint, à corpore, à capite, à vita sua propulsent.*

*Clodius fuit insidiator, & latro:* hæc est hypothesis, sive Assumptio, & confirmatur sic:

*Palam egit, & apertè dixit occidendum esse Milonem: utilitate, odio, improbitate, loco, tempore, atque impunitatis spe impulsus servos agrestes & barbaros ex Apænino deduxit, quibus insidias Miloni pararet,* &c. Sequitur orationis status, sive complexio:

Si

*si igitur omnis insidiator jurè interficitur, & Clodius fuit insidiator, Clodius igitur jurè interfectus est.*

Has quinq. partes principio excogitatas postea Cicero locis, & testimonijs, argumentis, & argumentationibus perpolivit, & amplificavit.

*De argumentatione, ac syllogismo, & de ratione inveniendi medium.* Cap. XIIII.

M. QVid est argumentatio? D. Argumenti explicatio, quæ ex una veritate aliam colligit: cujus formæ sunt variæ, sed syllogismus primas agit. M. Quid est syllogismus? D. Ratiocinatio, vel constans argumenti collocatio, in quo, quibusdam positis, & concessis, necesse est aliquid evenire. In omni enim syllogismo duæ præcedunt orationes, præmissæ á Dialecticis appellatæ, quarum prima dicitur propositio, vel major: Secunda, assumptio vel minor: ex his ducitur tertia, quæ complexio, consequutio, vel consequentia nominatur. v. g.

1 *Qualibet ars liberalis est amplectenda:*
2 *Rhetorica est ars liberalis:*
3 *Ergo Rhetorica est amplectenda.*

Propo-

Propositio apud Rhetores Thesis est; Assumptio, Hypothesis; Complexio, toti⁹ orationis status. Qui quod longius, & ornatius, quam Logici hoc argumentandi genere utuntur, probationes addere solent propositioni, & assumptioni, si non sunt perspicuæ, quarum utraque duobus extremis continetur, quos terminos Logici appellant, Subjectum scilicet, ac Prædicatum, & quod bis repetitur, nos argumentum, illi medium vocitant, quia duo jungit extrema. M. Quomodo id medium inveniemus? D. Si ex locis Topicis quæramus, quid universale non dubium, aut certè probabile, quod utrique extremo quadret. v. g. Si volumus probare Voluptatem esse bonam, oporret quæramus, quod voluptati, & bono quadret. atque inveniemus, ex adjunctis, esse bonum quidquid naturæ animantium accōmodatum est, quare ita ratiocinabimur.

1 *Quidquid animantium naturæ accommodatum est, id bonum est:*
2 *Voluptas animantium naturæ accommodata est:*
3 *Ergo voluptas bona est.*

Hoc modo facilè argumentum, sive medium inveniet, qui fuerit in Topicis exercitatus.

*Quo-*

*Quomodo in syllogismis directè concludatur.*
*Cap. XV.*

M. QVomodo status orationis, seu complexio ex præmissis directè eliciatur? D. Si in ea (quomodocumque medium collocetur) unum Assumptionis extremum, ut subjectum, & propositionis alterum, ut prædicatum, assumantur. M. Vt hoc dilucidius intelligatur, exempla unde petemus? D. Ex tribus Dialecticorum figuris, quarum prima efficitur, cum medium in principio propositionis, & fine assumptionis collocatur, ut

1 *Omne vitium fugiendum est:*
2 *Ista tua consuetudo est vitium:*
3 *Ergo ista tua consuetudo fugienda est.*

Secunda, cum medium in fine propositionis, & assumptionis ponitur, ut

1 *Omnis, qui diligit iniquitatem, odit animā suam:*
2 *Nullus justus odit animam suam:*
3 *Ergo nullus justus diligit iniquitatem.*

Tertia, cum medium principio propositionis, & assumptionis assumitur, ut

1 *Omnis avarus est miser:*
2 *Quidam avarus est dives:*
3 *Ergo quidam dives est miser.*

In his tribus syllogismis complexionem subjecto ex assumptionis extremo; & prædicato, ex

ex propositionis item extremo, constare vides. M. Video, & intelligo: sed fare obsecro, semper hunc ordinem complexionis eiciendæ Rhetores observant? D. Semper, quanvis in syllogismi partibus collocandis variare soleant, ut nunc explicabo.

*Quod Rhetores syllogismorum partes immutent, & quare.* Cap. XVI.

D. NEglecto ordine, ut artem dissimulēt, Rhetores syllogismi partes immutant, incertas verbis, sententijs, & rationibus illustrant: claras prætermittunt, vel varijs Rhetoricæ ornamentis interrogando se, percunctando alios, imperádo, vel optando magis illuminant, ut ipsa varietate gratior, & jucundior existāt oratio. Non longe abierimus. oratio pro lege Manilia, ut potequæ in duplici genere Deliberativo, & Demonstrativo versatur, duplici eam syllogismo continetur, quorum primus ita distincte, atque ordinaté disponi potest.

1 *Omne bellum, in quo agitur populi Romani gloria, sociorum salus, &c. suscipiendū est.*
2 *In bello Mitridatico agitur populi Romani gloria, sociorum salus, &c.*

3 *Ergo bellũ Mitridaticũ suscipiendum est.*
Confusé tamen, & inordinaté possumus, vel ab assumptione incipe re, sic:

2 *In bello Mitridatico agitur populi Romani gloria, &c.*
1 *Omne bellum ejusmodi suscipiendum est.*
3 *Ergo.& hoc Mitridaticum.*

Vel á complexione, sic:

3 *Bellum Mitridaticum suscipiendum est*
2 *Agitur enim in eo populi Romani gloria, pro qua*
1 *Omne bellum suscipiendum est.*

Secundus syllogismus ita directè formatur cum suis probationibus.

1 *Ad bellum Mitridaticum summus imperator est mittendus:*
*Est enim magnum, & periculosum, quod à Mitridate, & Tigrane infertur:*
2 *Gnejus Pompeius est summus imperator*
*Nam in eo est summa sciẽtia rei militaris, virtus, autoritas, & fœlicitas*
3 *Ergo Gnejus Pompejus ad bellum Mitridaticum est mittendus*

Cicero tamen á complexione cepit hoc modo: *Gn. Pompejus ad hoc bellum mittendus est:* deinde ponit assumptionem; *Est enim summus imperator*, cui adjungit probationes, *nam in*

*eo est summa scientia rei militaris, virtus, autoritas, & fœlicitas*: propositionem tamen, & ejus probationes tanquam omnino certas omittit. M. Servant hoc idem historici, & poëtæ? D. Nonnunquam, sed Cicero semper; in cujus orationibus, nullam ferè invenies periodum, quæ si minus ad ratiocinationem, ad enthimema saltem, inductionem, exemplum, epicherema, soritem, vel dilemma reduci nõ posſit.

*De Enthimemate, Epicheremate, Sorite, atque Dilemmate. Cap. XVII.*

M. QVid est Enthimema? D. Syllogismus truncatus, & imperfectus, quem Cicero sententiam, in Topicis, appellat, ut *Omnes artes liberales sunt perdiscendæ, ergo Rhetorica*, ubi de est Assumptio, *Rhetorica est ars*, quòd facilé potest intelligi. M. Differt ne á syllogismo? D. Nihil, si illi adas, quę defuerit pars, ut *Tu es avarus, ergo miser*. Adde propositionem, *Omnis avarus est miser*, & erit perfectus syllogismus. M. Quid est inductio? D. Epagoge, sive oratio, qua plura exempla, vel similia ita disposita congerũtur, ut à contrario concedantur, sic Virg. Aen. 6.

*Si potuit manes arcessere conjugis Orpheus,*
*Threycia fretus cithara, fidibusq; canoris:*
*Si fratrem Pollux alterna morte redemit,*
*Itq; reditq; viã toties: quid Thesea magnũ?*
*Quid memorem Alciden? & mi genus ab Io-*
*ve summo,* &c.

De qua & exemplo alibi diximus, quod ea nõ ad argumentationis species, sed ad argumẽtorum locos referimus. M. Quid est Epicherema? D. Ratiocinatio breviter comprehensa, cujus partes in unam brevissimè conferũtur, ut *Mater ne occideret filios?* idest.

1 *Nulla mater occidit filios:*
2 *Medea erat mater:*
3 *Ergo Medea non occidit filios.*

M. Quid est Sorites? D. Argumentatio, vulgó dici solita. De primo ad ultimum: quem Cicero Acervalem vocat. Hoc quibusdam quasi gradibus ad conclusionem pervenitur v.g. *Quod bonum est, id est optabile, quod optabile, expetendum: quod expetendum, laudabile: quod laudabile, honestum: ergo omne bonum est honestum.* Est tamen captiosum argumentandi genus, ut apparet in illo vitioso Sorite, quo Themistocles colligebat filium suum Græcorum omnium esse potentissimum, sic: *Athenienses*

imper

*imperant Græcis, ego Athenienſibus, mihi uxor, uxori filius, ergo filius eſt omnium Græcorum potentiſſimus.* M. Quid eſt Dilemma? D. Syllogiſmus cornutus, utrinque capiens adverſarium, quem Cic. Complexionem appellat v. g. in Catil. *Diſcede, atque hunc mihi timorem eripe, ſi verus, ne opprimar; ſin falſus, ut tandem aliquando timere deſinam:* & alibi. *Hoc qui non videt, excors, qui videt, & ſuffert, impius.* Huic argumentandi generi adjungi ſolet Antiſtrephon. M. Quid eſt Antiſtrephon? D. Dilemma dilemmati oppoſitum per inverſionem, ut illud apud Gellium de Prothagora, & Evathlo; hic enim illi pecuniam magnã, ex pacto, daturus erat, ſi primam, quam oraſſet, cauſam viciſſet, nullam tamen defendebat, ne ſolveret. Cui Prothagoras Te, inquit, in jus vocabo, & ſi cauſam obtinueris, ex pacto ſolves; ſi non, ex ſententia; Evathlus ad hæc, inverſione uſus, reſpondit: Imo ſi cauſam obtinuero, non ſolvam ex ſententia, ſi ſecus, ex pacto. M. Quas retuliſti argumentationes ſunt ſemper in confirmatione collocãdæ? D. Minimè, ſed ex melioribus nunc hæ, nũc illæ. Vt enim bonꝰ imperator, habito militũ delectu, aptiores eligit, armis munit, & ex his meliores à frõte, atq; á tergo, in cornibꝰ,

collocat, cæteros, vel omittit, vel in acie media statuit, ut vel inviti pugnare compellantur: sic nos eas eligemus, pro quæstionis qualitate, quæ magis aptæ ad nostram causam confirmandam, vel alienam refutandam videbuntur. Confirmationi enim adjungitur refutatio, sive reprehensio, qua contraria redarguere conamur. Hæc interdum confirmationem præcedit, ut pro Cæl. pro Mil. interdum subsequitur, ut pro lege Man. sæpe vero utraque confunditur, & commiscetur, ut pro Mur. pro Clue. pro Flac. &c. & ambas jucunda varietate, facili distinctione, maxima ubertate, illustres, ac perpolitæ argumentationes confirmant: quarum capita in Peroratione solent conglobari.

### *Quid sit Peroratio, quid enumeratio, & quibus modis fiat. Cap. XVIII.*

M. QVid est Peroratio? D. Extrema orationis Rhetoricæ pars, cumulus, cōclusio, vel epilogus, ubi res nostræ amplificātur, & alienæ deprimuntur. M. In quot partes dividitur? D. In Enumerationem, & affectus. M. Quid est Enumeratio? D. Anacephaleosis, vel recapitulatio, qua breviter, ac summatim

matim colliguntur, & in uno quasi conspectu ponũtur ea, quæ altius in audientium animis oportet infigi, & qua, per singula rerum capita, nonnunquam laudator, non sæpe suasor, frequenter accusator decurrit, ut auditorum memoriam reficiat, totam causam circunscribat, judices criminum repetitione ad iracundiam provocet, ac maiorem orationi vim adhibeat. M. Quibus modis efficitur? D. Varijs, sed ad sex reduci possunt. Primum simpliciter enumerando, ut 6. in Ver. *Hæc igitur est gesta res: victoria præclara, myoparone pyratico capto, dux liberatus, symphoniaci Romam missi: formosi homines, & adolescentes, & artifices domũ abducti, in eorum locum, & ad eorum numerum cives Romani hostilem in modum cruciati, & necati: omnis vestis ablata, omne aurum, & argẽtum, & oblatum, & aversum,* &c. secundo interrogando adversarium, ut 6. in Ver. *Potero silere Hortensi? potero dissimulare: cum tantum resp. vulnus acceperit, ut expilatæ provinciæ, vexati socij, dij immortales spoliati, cives Romani cruciati, & necati impunè, me actore, esse videantur?* &c. tertio, excusando reum, & accusando actorem, ut pro Mil. *Video adhuc constare omnia, judices; Miloni utile fuisse Clodium vivere; illi ad ea, quæ concupierat, optatissimũ*

 *inte-*

*interitum Milonis fuisse; odium illius in hunc acerbissimum; in illum hujus nullum: consuetudinem illius perpetuam in vi inferenda, hujus tantum in repellenda: mortem ab illo denunciatam palàm Miloni, & prædictam; nihil unquam auditum ex Milone: profectionis hujus diem illi notum, reditum illius huic ignotum fuisse: hujus iter necessarium: illius etiam potius alienũ*, &c. quarto, Gradatim ascendendo, cum dissimilium conflictione, ut pro Quin. *Miserum est exturbari fortunis omnibus: miserius est injuria. Acerbum est ab aliquo circumveniri: acerbius à propinquo. Calamitosum est bonis everti: calamitosius cum dedecore. Funestum est à forti, atq; honesto viro jugulari; funestius ab eo, cujus vox præconio quæstui prostitit. Indignum est à pari vinci, aut superiore; indignius ab inferiore, atq; humiliore. Luctuosum est tradi alteri cum bonis; luctuosius inimico*, &c. quinto, Inducendo personam vivam, mortuam, vel fictam per prosopopœiam. Vivam, ut pro Roscio Amer. *Prædia mea tu possides; ego aliena misericordia vivo. concedo, & quod animus æquus est, & quia necesse est. Mea domus tibi patet; mihi causa est, fero. Familia mea maxima uteris; ego servum habeo nullum patior, & ferendum puto: quid vis amplius? quid insequeris? quid oppugnas?* &c.

Mor-

Mortuam, ut 6. in Ver. *Ipse pater si judicaret, per Deos immortales, quid facere posset, cū tibi hæc diceret*, &c. vide usq; ad Satis est, Fictam, ut 1. in Cat. *Etenim si mecum patria, quæ mihi vita mea multo est charior, si cuncta Italia, si omnis respub. loquatur, Marce Tulli quid agis? tu ne eum, quem esse hostem comperisti, quem ducem belli futuri vides, quem expectari imperatorem in castris hostium sentis, autorem sceleris, principem conjurationis, evocatorem servorum, & civium perditorum exire patieris? ut abste non emissus ex urbe, sed immissus in urbem esse videatur? non ne hunc in vincula duci, non ad mortem rapi, non summo supplicio mactari imperabis?* &c. 6. per apostrophem Deū, & Sanctos deprecando, ut 6. in Verrem. *Nūc te Iupiter Opt. max. cujus iste donum regale, dignum tuo pulcherrimo templo, dignum Capitolio, de regijs manibus extorsit. Cujusque sanctissimum, & pulcherrimum simulachrum Syracusis sustulit. Teq; Iuno regina, cujus duo fana, duabus in insulis posita sociorum Melitæ, & Sami sanctissima, & antiquissima simili scelere idem iste omnibus donis ornamentisq; nudavit. Teque Minerva*, &c. usque ad finem. In quibus modis omnibus nimia ingenij, aut memoriæ ostentatio, & verborū, ac sententiarū simi-

ſimilitudo cavéda eſt,procuranda tamen omnis eloquentiæ vis,quod hæc ſit ultima cauſę conflictio, nec ulla poſtea ſpes victoriæ ſuperſit.

*Quando, & ubi ſit enumeratio neceſſaria.*
*Cap. XIX.*

M, QVando eſt enumeratio neceſſaria? D. Si apud viros doctos dicimus, nunquam, niſi cum eorum memoriæ diffidimus: ſi apud indoctos,ſemper. Quare Cic.quoties ad populum orationem habuit, enumeratione uſus eſt, non in peroratione ſolum, ſed in qualibet præcipua confirmationis parte, id quod unico ejuſdem Ciceronis exemplo, in oratione pro lege Manilia facilé,demonſtrabo, ubi poſt confirmationis partes de genere belli,de magnitudine,ac de imperatore deligendo, ſingulis partibus, ſingulas addit enumerationes: poſt primam, ſic: *Quare videte nũ dubitandum vobis ſit omni ſtadio ad id bellum incumbere,in quo gloria nominis veſtri,ſalus ſociorum, vectigalia maxima, fortunæ plurimorũ civium,cum rep. defenduntur.* Poſt ſecundam, ſic; *Quãtum illud bellum futurum putatis,quod conjũgant reges potentiſsimi, renovent agitatæ nationes, ſuſcipiant integræ gentes,novus imperator*

*rator vester accipiat.* Post tertiam, sic: *Quare cum & bellum ita necessarium sit, ut negligi nō possit, ita magnum, ut accuratissimè sit administrandum, & cum ei imperatorem præficere possitis, in quo sit eximia belli scientia, singularis virtus, clarissima authoritas, egregia fortuna, dubitatis, Quirites,* &c. Solent vero enumerationes nonnullæ cum amplificationibus, & affectibus dilatari.

*De Amplificatione, quæ solet epilogis adhiberi. Cap. XX.*

M. QVę Amplificatio epilogis adhibetur? D. Quæ sumitur ex locis Topicis, & ex verbis, ut diximus, & ex rebus natura, vel usu magnis, & ex ratiocinatione, atque congerie; ut res infimas attollamus, mediocres exornemus, sublimes augeamus, & affectus varios excitemus. M. Quæ sunt natura magna? D. Cælestia, ut cometæ, fulmina, tonitrua, tempestates: Divina, ut oracula, vaticinationes, miracula: & quorum causæ obscuræ videntur, ut terremotus, hiatus, strepitus, monstra, prodigia, &c. Ex quibus Cicero epilogū orationis de Aruspicum responsis, sic amplificat: *Etenim hac Deorum immortaliū, vox hæc*

*penè*

*penè oratio judic inda est, cum ipse mundus, cum agri terræmotu quodam novo contremiscunt, & inusitato aliquid sono, incredibiliq; prædicant,* &c. & pro Milone: *Religiones me hercule ipsæ, aræque, cum illam belluam cadere viderunt, se commovisse videntur*, &c. M. Quæ sunt usu magna? D. Religio in Deum, & Sanctos, pietas in patriam, atq; parentes, charitas in fratres, conjuges, liberos, & familiares; amor salutis, & fortunarum, honestas virtutum omnium. Ex quibus cohortationes sumuntur, odia incitantur, miserationes nascuntur. Cohortationes, ut 4. in Cat. *Quare P.C. consulite vobis, prospicite patriæ, conservate vos, conjuges, liberos, fortunasq; vestras populi Rom. nomē salutemq; defendite,* Odia, ut pro Mil. *Polluerat stupro sanctissimas religiones: Senatus gravissima decreta perfregerat; pecunia se palam à judicibus redemerat: vexarat in tribunatu senatum: omnium ordinum consensu pro reip. salute gesta resciderat: me patria expulerat: bona diripuetat: domum incēderat: liberos, conjugem meam vexaverat,* &c. Miserationes, cum quis bona hæc amisit, vel in amittendi periculo versatur, ut pro P. Sylla: *ò falsam spem! ò volucrem fortunam! ò cæcam cupiditatem! ò præposteram gratulationem! quam cito illa omnia ex lætitia,*

*lætitia, & voluptate; ad luctum, & lachrymas reciderunt? Omnia, judices, hæc amissa sunt: omnia generis, nominis honoris insignia, atq; ornamenta unius judicij calamitate occiderunt.* Et pro L. Flacco: *Miseremini familiæ, judices, miseremini patris, miseremini filij, nomen clarissimum, & fortissimum, vel generis, vel vetustatis, vel honoris causa reip. reservate.* M. Quid est Ratiocinatio? D. Cum aliud ex alio ducitur ad augendum, v. g. *Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate, tantum vini in Hippiæ nuptijs exhauseras, ut tibi necesse esset in populi Rom. conspectu vomere postridie.* Et act. 4. in Ver. Postquam gravissima Verris crimina in magnam invidiam extulit, dicit.: *Levia sunt hæc in hoc reo crimina: metum virgarum Navarchus nobilissima civitatis pretio redemit, humanum est: alius, ne securi feriretur, pecunia dedit, usitatum est: Non vult pop. Rom. obsoletis criminibus accusari Verrem, nova postulat, inaudita desiderat: nō de prætore Siciliæ, sed de crudelissimo tyranno fieri judicium arbitratur.* Et hanc ratiocinationis speciem alij incrementum, alij concessionem appellant. M. Quid est congeries? D. Verborum aut sententiarum idem ferè significantium acervus, ut illa pro Lig.

*Quid*

*Quid enim tuus ille tubero districtus in acie Pharsalica gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?* M. Fit alio modo? D. Cum plures res congeruntur, ut supra: Polluerat stupro Sanctissimas religiones, &c.

*Quid, & quotuplex sit affectus, & quomodo excitetur.* Cap. XXI.

D. Post harum amplificationum scintillas, & enumerationum exhalationem igneam, vehemens affectuum flamma prorumpet, quæ eò erit ardentior, quò argumentorũ strues fuerit efficacior. M. Quid est affectus? D. Animi motus, quo de bono, vel malo opinato acriter incitamur. M. Quot sunt affectuum species? D. Duæ, una lenis, ex lætitia, benevolentia, favore, venia, & expectatione, profecta; altera concitata, ex molestia, ira, indignatione, odio, invidia, & metu, deducta. Hæc à Græcis Pathos, illa Ethos appellatur: Pathos imperat, perturbat, & ad iracundiam concitat: Ethos persuadet, mittigat, & ad misericordiam allicit. Hæc in exordio, & comœdia, illa in peroratione, & tragædia frequentius

tius collocatur; hæc suavi voce; illa vehementi, hæc vultu placido; illa irato, hæc sedato gestu; illa minarum pleno, ad se, vel invitos trahit. Iactat illa brachia, spumas agit, tonat, fulminat; hæc oculos in cælum sublevat, numina implorat, auditores capit, lachrymas profundit. Illa à Macrobio Saturn. 4. copiosè tractatur: Hæc, & illa à Quint. lib. 6. cap. 3. Cic. & Aristotele. Quæ ut rectè fiant nobis est tantisper auditorum mens induenda, & ingenium, excogitantibus, quibus nos rebus moveremur, si auditores tunc temporis essemus. Affectus itē sentiendi, quibus auditores affici voluerimus; neque enim fieri potest, ut doleat is, qui audit, ut oderit, ut invideat, ut pertimescat, ut ad fletum misericordiamque deducatur, nisi omnes ij motus, quos orator adhibere volet, in ipso impressi esse, atq; inusti videbuntur.

*De Affectibus varijs, & qua arte moveantur.*
*Cap. XXII.*

M. QVomodo Affectus varij moventur? D. Id tradi arte posse Socrates, & Roscius præcisse negabant: duodecim tamen rebus moveri possunt, Amore, & odio (tanquam ex cujusq; affectus principijs) voluptate, mærore, miseratione, ira, æmulatione, spe, metu,

metu, invidia, laude, & obsecratione. Laudator vero ad æmulationem, laudemque omnia referet, illosq; tractabit locos, qui expectationem, admirationem, voluptatem, amorē, ac delectationem movere possint. M. Quomodo expectatio movetur? D. Cum auditoris animus suspensus detinetur, ut rei exitū nosse desideret v.g. pro lege Man. *Hoc tantū bellū, tam turpe, tā vetus, tā latè divisum, atque dispersum, quis unquā arbitraretur, aut ab omnibus imperatoribus uno anno, aut omnibus annis ab uno imperatore confici posse*, &c. M. Admiratio? D. Cum magna, nova, & inaudita dicuntur, ut Cic. 5. Philip. *Multa memini, multa audivi, multa legi, nihil ex omniū sæculorū memoria tale cognovi.* Et pro lege Man. *Tantum bellū, tā diuturnū, tā longè, lateq; dispersum, quo bello omnes gentes, ac nationes premebātur, Gn. Pōpejus extrema hyeme apparavit, ineūte vere suscepit, media æstate confecit.* M. Voluptas, & amor? D. Cum insolitæ virtutes amplificantur, sic: *Non enim illū eximia vis remigum, aut ars inaudita quædā gubernādi, aut venti aliqui novi, tā celeriter in ultimas terras pertulerunt, sed hæ res, quæ cæteros remorari solent, non retardarunt: non avaritia ab instituto cursu, ad prædā aliquā, revocavit; non libido ad voluptatē*

non

*non amœnitas ad delectationem, non nobilitas urbis ad cognitionem, non denique labor ipse ad quietem,* &c.

*De Iocis ingenuis, quibus delectatio moveri potest. Cap. XXIII.*

M. Delectatio unde movetur? D. Ex Iocis ingenuis, ac dictis peracutis, quæ ex octo locis facete, ac breviter ducenda esse Cic. Epist. 32. lib. 8. & lib. 2. de Orat. docet 1. Ex amphibolia acuta, cum ad sensum diversum eadem verba possunt accommodari, ut cum dixit Cicero de Cæsare: *Laudandum esse adolescentem, ornandum, tollendum.* Et 3. in Ver. *Negabant mirandum esse jus tam nequam esse Verrinum.* 2. Ex elegante Hyperbole, cum sententia ultra modum imminuitur, aut extollitur, ut Idem Cic. pro Scauro: *Libertus patronum non occidit, sed duobus digitulis gulam oblisit.* 3. Ex paronomasia bella, cum unius litteræ mutatio diversam affert significationem. *Vt Biberius Caldius Mero, pro Tiberius Claudius Nero.* Et Ter. *Inceptio est amentium, haud amantium.* 4. Ex paraprosdochia, id est, ex inexpectato responso, ut cum dixisset quidam terræ filius C. Lelio: *Indignus es tuis ma-*

*ioribus;* respondit Lelius: *At hercle tu tuis dignissimus:* & Tarentini juvenes ad Pyrrhum: *Nisi lagena nos defecisset, occidissemus te.* 5. Ex notatione, cū ex ipsa nominis Ethymologia jocus ducitur, ut Cic. qui passim in Verris nomen jocatur, quod omnia Verrat. 6. Ex pulchra metaphora, ut cum Philippus Catullo verba facienti percunctaretur: *Quid latras? Furem video,* respondit. 7. Ex Allegoria ingeniosa, ut Quidam Primarius, quem Servilius rogavit an esset cōtra se male dicturus, dixit: *Vt sementem feceris, ita metes.* 8. Ex ironia denique dissimulata, ut Cum Helius Lamia homo deformis L. Crassum odiosé interpellaret, dixit Crasus: *Audiamus pulchellum puerum:* cui Lamia: *Non potui formam mihi fingere, ingenium potui.* Tum Crassus: *Audiamus,* inquit, *disertum.* Quæcumque dicta aliunde, quam ex his locis petita, nollem usurparet Orator, & hæc cum vituperat, vel jocatur. In re tamen seria, ne ex his quidem vellem. Si suadet, bonorum, & malorum enumerationes cum exemplis adducet, ut spem, vel metum injiciat. Si acusat, odium, & iram, si defendit, miserationem cum obsecratione concitabit.

De

*De Perorationis affectibus, quibus oratio maximè ferbet.* Cap. XXIIII.

M. UT oratio ferbeat, quid faciet orator? D. Per prosopopæiam personas veras, aut fictas inducat: per apostrophem, se ad Deum, Sanctos, vel homines convertat, conqueratur, imploret, gemat, optet, exclamet, lachrymetur, supplicet, atque id verbis illustribus, plenis, gravibus, junctis, sonantibus, adjunctis, hyperbolicis, ascendentibus, dissolutis, iteratis, & duplicatis. M. Hos mihi, quasi digito, affectus ostende? D. Placet, omnesq; in peroratione Miloniana breviter ostendam. Prosopopæja utitur Cic. ibi, cum verbis illustribus, duplicatis, ascendentibus, dissolutis, & iteratis: *Valeant*, inquit, *valeant cives mei, sint incolumes, sint florentes, sint beati: stet hæc urbs præclara, mihiq; patria charissima, quoquo merita de me erit: tranquilla repub. cives mei, quoniam mihi cum illis non licet, sine me ipsi sed per me tamen, perfruantur*, &c. Apostrophe cum imploratione, & verbis gravibus, plenis, sonantibus, junctis, & adjunctis: *Vos vos appello fortissimi viri, qui multum pro republica sanguinem effudistis, vos in viri, & civis invicti apello periculo, centuriones, vosque milites,*

*vobis non modo inspectantibus, sed etiam armatis, & huic judicio præsidentibus, hæc tanta virtus ex hac urbe expelletur? exterminabitur? ejicietur?* Conqueritur, ut *ò frustra suscepti mei labores! ò spes falaces! ò cogitationes inanes meæ!* &c. Gemit, ut *ò me miserum! ò infelicem! revocare tu me in patriam Milo potuisti*, &c. Optat, ut *Utinam Dij immortales fecissent*, &c. Exclamat, cum verbis hyperbolicis, ut *ò terram illam beatam, quæ hunc virum exceperit, hanc ingratam si ei ecerit, miseram, si amiserit.* Supplicat, ut *Vos oro, obtestorque judices*, &c. Lachrymatur, ut *Sed finis sit, neque enim præ lachrymis jam loqui possum*, &c.

DE

# DE ARTE
# RHETORICA.
## DIALOGVS TERTIVS de Eloquutione.

### *Quid sit Eloquutio, ac de Elegãtia, & verborum delectu.*

*CAP.* I.

M. QVID est Eloquutio? D. Idoneorum verborum, ac sententiarum accõmodatio, tertia Rhetoricę pars propria, & præcipua, cæteris cognitionę facilior, dignitate major, usu frequentior, & studentibus utilior; unde Orator eloquẽs, & hæc ars eloquentia nominatur. Quapropter Cic. 2. de Orat. Inventionẽ, ac Dispositionem prudentis hominis esse putat, Eloquutionem Oratoris. M. Quibus rebus constat? D. Tribus, elegantia, dignitate, & compositione: elegantia in verborum delectu; dignitas, in Tropis, & figuris: compositio, in concinnitate consistit.

M. Quid est Elegantia? D. Verborum delectus, qui facit, ut verba tam nativa, quam reperta, latina, perspicua, & ornata deligantur. Nā (ut C. Cæsar dicere solebat) *initiū est eloquentiæ verborū delectū habere.* M. Quæ sunt verba nativa? D. Quæ non ab alijs verbis deducta fuerūt, sed primo ad rem significandā imposita, & quasi cum rebus nata, ex quibus.

*Sordida, Prisca, Nova, Antiquata, Poëtica, Dura,*
*Turpia, rara nimis, vel Peregrina cave.*

M. Quæ sunt Sordida? D. Immunda, quibus, vel res fætidæ, ut corporis excrementa, vel abjectæ, vilesque, ut nates, cloacæ, porcus, asinus, olla, fartago, &c. exprimuntur. M. Prisca? D. Vetusta, sed non omnino relicta: quanvis enim à bonis autoribus raró usurpentur, non indesuetudinem abierūt v. g. cluere, pro pugnare: oppuliscere, pro ditescere: pauperare, pro pauperē facere: defrugare, pro extenuare: catillare, pro alienas domos frequentare: sandapila, pro feretra mortuorum: vespillones, pro defunctorum bajulis: silicerni, pro senibus incurvis: sutella, pro astutia: antigerio, pro valde: & alia, quibus Ennius, Paccuvius, Cæcilius, Andronicus, Lucillius, Cato, & Piso frequenter utūtur. M. Nova? D. Quæ

poſt Tullianum ſæculum,vel ab artium magiſtris neceſsitate, licentia, vel ignorantia inventa ſunt:vel ſacra, & á religione noſtra introducta,ut Eccleſia,Baptiſma, Papa,Cardinalis,&c. Hæc ipſe libere,illa cum præmonitione parcè uſurparem. M.Antiquata? D. Obſoleta,quę à priſcis temporibus repudiata, & ab ætate noſtra exauctorata,in uſum revocati nequeant, qualia ſunt ſpuratilica, bovinator,apluda,floces, &c. M.Poëtica? D. Quæ á poetis tantum uſurpantur, ut olli,pro illi.grator,pro gratias ago,&c. M.Dura? D. Agreſtia,ruſtica,inſuavia,& quæ parum apte transferuntur: ut caſtrare remp. pro orbare: caperare frontem,pro criſpare, &c. M.Turpia?D.Obſcæna,quibus res Venereæ,& corporis partes ad eas pertinentes,ſignificantur. M.Rara nimis? D.Quorum apud autores rarus eſt uſus. M.Peregrina? D.Barbara,quæ Romani partim ab aiijs nationibus receperunt,ut à Perſis,Gaza, & paraſangam: à Macedonibus Phalangas: á Germanis Elledum: á Gallis Currum: a Sabinis Caſcum: ab Oſcis Caſnar: à Pœnis Magalia, & mappam: à Siccúlis Gruppare, pro dorſo equitare: ab Hiſpanis Lanceam. Partim quæ recentiores per Onomatopæjam uſurparũt,ut Bóbarda,

sclopus, taratantara, &c. Partim quæ imperitè barbari effinxerunt, ut Grossum, gurdũ, guerram, brodium, biretum, treguam, &c. Ex quibus omnibus à Romanis inducta semper; ab alijs rarò; a barbaris nunquam admitterem: ne orationis perspicuitas verbis obscuretur insolentibus, ut ab ætatis nostræ cultis obscurari solet, qui eruditionis fanfá affectãtes, ut soli scire videantur, nimis priscas, ignotas, et, exoletas voces ita aucupantur, ut vix una, vel altera sententia intelligatur.
M. Tenes ne memoria istius compositionis aliquod exemplar? D. Et quidem illustre, quod Maranta Venusinus ex cujusdam medici epistola, in alios etiam sibi æmulos cõscripta, & hisce omnibus verbis, quæ nos rejicimus, completa, refert lib. 4. Lucullianarum quæstionum. M. Audiamus illud? D. Nolli me refractarium, atque in tenebriones invehentem mordicus, cum pastomidem nunquã subierim: etiam si mei lares nunquam tripudium solistimũ novere. Tu vero quid de stigmatico desimo existimas, qui nihil unquam boni efficiet, nisi cum Februi hiatus inviset? Dices ne? an ficum cupis? An times, ne inter rejiculas oves recensearis? Tricerberus hic infami fame inexplebilis, qui tot tauros progenuit

genuit nigros, ex eorum genere, qui permi-nofo fimo Iovis alitem vicere. Quos quæso termites ex tam prodigioso cespite? Draucus hic, alius Cyllo, & qui lumbagine laboret. Quam benè cymbalissant, quam nihil nisi conceptis verbis loquuntur, imbubinati sæpius, nunquam imbulbitati: cuculi in area latitantes, regiamq; viam nunquam gradientes: Amphiarao inimicissimi; nunquam enim per ignispicia vaticinati sunt, opertaneis oscillare consueti. Iam vero quid mihi fiet, cui ut restagnem, repubescendum est? Sed dispalescet vulgo flagitium, & horum vasorum ignia apparebunt. Tabesco, quod Myconiorum more vivere nesciam. At Neoptolemi vindictam expecto, ita ut vespillonum tergo mox exponantur omnes, & ne ignifer quidē remaneat. Pater tamen interim fiat sui ipsius strati clinicus. Threnodia superstes tu efficies. Mihi in cybistemate exercitandum est: his pasillis utar in hac pestilentia. M. Sufficit, ne ulterius progrediaris: hæc per otium post enodare conabimur.

(?)

*De Verbis repertis, bene sonantibus, gravibus, sublimibus, lenibus, & nitidis.*

*Cap. II.*

M. QVæ sunt verba reperta? D. Quæ á nativis deducuntur, & à Grammaticis derivativa nominantur: ex quibus omnibus eligenda sunt potissimum bene sonãtia, gravia, sublimia, lenia, & nitida. M. Quæ sunt Sonantia? D. Quæ placidum sonum litterarum beneficio effundunt, qualia sunt superlativa: ut optimus, maximus, amplissimus: verbalia, ut dominatrix, regnator: composita, & pollisyllaba, ut contrucidare, perhorrescere. M. Quæ sunt Gravia? D. Quæ majorem bonitatis, & malitiæ vim ostendunt: unde charitas, & pietas graviora sunt, quam amor, & benevolentia; clementia, quám lenitas, magnificentia, quã liberalitas, carnifex, parricida, profligat⁹ quam sicarius, homicida, & malus. Eodem etiam modo, quæ magis prodesse, aut obesse videntur, graviora judicantur, ut confirmare, gravius est quam sanare; & sanare, quam curare; & trucidare, quã occidere, &c. M. Quæ sunt sublimia? D. Quæ suapte natura, vel hominum juditio, divina, & præclara sunt, ut Deus, Cælites, & omnia cælestia, imperatores, pontifices, reges, principes, magistratus,

virtu-

virtutes,honores,diſciplinæ,ornatus,&c. M. Quæ ſunt Lenia, & Nitida? D. Quæ omnia pudenda, inquinata, & impropria refugiunt, & res ita explicant, ut videri, non audiri videantur. Quapropter orator ſingula verba expendat,& aurium judicio ponderet, ut rebus exprimendis aptiora deligenda, infimis levia,& humilia,mediocribus mista, & temperata: ſummis ſonantia, gravia, & ſublimia verba prudenter accommodet: ſic elegantiæ conſulet, atque viam Eloquutionis dignitati muniet.

*De Tropis, eorumq; numero, ac primum de Metaphora. Cap. III.*

M. QVid eſt Eloquutionis dignitas? D. Quæ ornatam reddit orationẽ, grataque varietate Troporum, ac figurarum diſtinguit. M.Quid eſt Tropus? D.Verbi,vel ſermonis à propria ſignificatione in aliam, cum virtute, mutatio,ſic dictus à verbo Trepo,quod eſt muto. M.Quot ſunt Tropi? D. Nonnulli affirmant eſſe undecim, alij ſex,alij quatuor: ſed nos perſpicuitatis,brevitatis,& veritatis etiam cauſa, tres tantummodo eſſe dicimus, Metaphoram, Synecdochen, ac Meto-

Metonymiam: & ex reliquis Catachresin, allegoriam, ironiam, & hyperbolem ad Metaphoram; antonomasiam, & periphrasim ad Synecdochen: Metalepsim vero ad Metonimiam reducimus, tanquam cujusque species: Onomatopæiam, & hyperbaton ex tropoṛũ numero rejicimus. M. Quid est Metaphora? D. Trãslatio verbi á simili ad simile, ut latrat orator, flumen ingenij, prata rident, iratum mare, &c. M. Quotuplex est? D. Vt placet nõnullis, quadruplex, Ab animatis ad animata, ut latrat orator: ab inanimatis ad inanimatis, ut concentus virtutum. Ab animatis ad inanimata, ut Pontem indignatus Araxes: ab inanimatis ad animata, ut Duo fulmina belli Cipiadas. Illustriores vero metaphoræ ex octo potissimum fontibus hauriantur; ex navigatione, ut ventos habere secundos: reipublicæ clavum tenere: facere naufragiũ: mutare velificationem; è fluctibus emergere; in portu navigare; ex agricultura, ut serere beneficium, metere fructum: sementem facere, disseminare discordias: rivulis orationem irrigare: ærarium exhaurire: falcem mittere in messem alienam: qui parcè seminat, parcè & metet. Ex venatione, ut Aucupari verba; odorari vestigia, inescare homines, irretire laqueis.

laqueis. Ex re medica, ut, inurere notã: refricare vulnera; medicinam facere: curare vitiorũ morbos, reimp. mederi, & sanare: in visceribus hærere. Ex re equestri, ut laxare habenas, admovere calcaria, domare iram; frænare cupiditates, excurrere in laudum campo. Ex re militari, ut Adhibere machinas, triumphare gaudio, de præsidio dejici, causę arcem invadere, bellum cupiditatibus indicere, secũ pugnare, vincere litem, jugulum petere. Ex incendio, & igne, & aqua, ut invidiæ faces; animum inflammare, extinguere naturæ igniculos, splendere virtutibus, abluere peccatorum sordes, &c. Sed re vera nihil est infra Lunę orbé, aut supra; unde metaphora deduci non possit, id quod Cic. 2. de Orat. apertissimè docet. M. Quis metaphoram invenit? D. Necessitas, postea vero delectatio celebravit, ut vestis, quæ ad frigus depellendũ inventa, ad ornatum postea cæpta est adhiberi. M. Quando necessitate cogimur metaphorã periodis adhibere? D. Cum deest verbũ, quo res propriè significetur, ut cũ dicimus luxuriam esse in herbis, lætas segetes, sitire agros, durum, & asperũ hominẽ, quod aliud non habemus, quo affectiones illas exprimamus. M. Quare delectatio metaphoram celebrare cepit?

pit? D. Quia clarius, vel significantius, vel decétius, vel ornatius, vel brevius enunciat orationem: Clarius, ut Aureum eloquentiæ flumen, splendor generis, obscuritas familiæ: Significantius, ut Pericles orator dictus est tonare, fulminare, permiscere totam Græciā: Decentius, ut ventrem exonerare, albi onus deponere: Ornatius, ut Tua virtus exaruit, reviresc at: Brevius, ut Vrbem extinxi, lapis manu fugit, telumq; armare veneno. Ac deniq; quia metaphora est similitudo ad unum verbum contracta, qua homines mirificè capiuntur, ac delectantur. M. Quod discrimen est inter Metaphoram, & similitudinem? D. Quod similitudo rei comparatur, quam volumus exprimere, sic, Petrus est ut leo, metaphora vero pro re ipsa dicitur, ut Petrus leo est.

*De Metaphoræ vitijs, ac de Catachresi.*
*Cap. IIII.*

M. QVæ vitia sunt in Metaphora vitanda? D. Septem Cic. 3. de Orat. vitanda proponit 1. Ne sit dissimilis, ut *Ingentes Cæli fornices: pennis remigant volucres.* 2. Ne sit longé petita, ut *Syrtis patrimonij, Charybdis bonorū.* 3. Ne sit turpis, ut *Stercus curiæ, castrata*

*resp.*

*resp.* 4. Ne sit major quam res postulat, ut *Tēpestas comessationis.* 5. Ne sit minor, quā par est, ut *Scintilla proditionis.* 6. Ne dura sit, ut *Iuppiter hybernas cana nive conspuit Alpes.* 7. Ne sit tantum poëtica, ut *Pastor populi*, pro rege. Nos vero insuper addimus alia duo, nō metaphoræ, sed abutentium ea, unum ne sit ita frequens, ut tædio compleat auditores: nā sicut Cælum stellis distinguitur, non obducitur, ita variari metaphoris, non contegi, debet oratio: alterum ne sit ita obscura, ut in ænigma exeat, sic: *Mater me genuit, & ipsa rursus gignitur à me.* Quibus adde, si lubet, Catachresim. M. Quid est Catachresis? D. Duriuscula metaphora, quæ habentibus nomen, fortasse melius, alienum accommodat, ut Parricida, pro fratricida, vel homicida, fortitudo pro temeritate, liberalitas pro luxuria, &c. Vnde rectissimè vocatur abusio. Distinguitur tamen á metaphora in hoc, quod Catachresis ex re finitima rei alteri nomen substituit, quanvis dissimile; Metaphora vero undecunq; nomen trahit, dummodo aliquam similitudinem habeat.

§

De

*De Allegoria.* Cap. V.

M. QVid est Allegoria? D. Metaphora multiplicata, inversio, aut permutatio, quæ fit quoties plures translationes in oratione copulantur, ut, *Ovem lupo commisisti.* Orat. *Contrahes vento nimium secundo Turgida vela*, idest in rebus prosperis, ne te efferas. M. Quotuplex est? D. Tota, vel mista; Tota, ut Hor. Od. 14. lib. 1. *ô navis referēt in mare te novi Fluctus, ô quid agis? fortiter occupa portum*, &c. Hic navim pro repub. mare pro morte, fluctus pro bellis civilibus, portum pro pace posuit. Sed hæc non ita frequēs est, ac mista, qualis est illa Ciceronis in Pisonem: *Neq; tam timidus fui, ut qui, in maximis reip. turbinibus navim gubernassem, salvamq; in portu collocassem, frontis tuæ nubeculam, tum collegæ tui contaminatum spiritum pertimescere. Alios ego vidi ventos, alias prospexi animo procellas, aliisq; impendentibus non cessi*, &c. Hic nisi adjecisset Cic. illos gignendi casus, Reip. Frontis tuæ, Collegæ tui, tota esset allegoria, cum antē illi eam aperuerint, mista est. Hæc si cum similitudine ponatur speciosissimum genus orationis efficiet, ut pro Murena: *Quod fretum, quem Euripum tot motus, tamq; varias*

*editis habere agitationes, commutationes, fluctus, quantas perturbationes, & quantos æstus habet ratio comitiorū.* Et quò fuerit illustrior, eò præclarior habebitur, ut illa Ciceronis pro Marcel. *Sed quoniam emersisse jam è vadis, & scopulos prætervecta videtur oratio mea, perfacilis mihi reliquis cursus ostenditur.* M. Quæ vitia sunt in Allegoria vitanda? D. Duo, primum ne discrepent initium, & finis: nonnulli enim cum initium à tempestate sumpserint, incendio, aut ruina finiunt: secundum, ne sit obscura, ita ut ænigma efficiatur, ut illa Cecilij. *Quadrantaria Clitæmestra in triclinio Coa, in cubiculo Nola.* M. Est ne quodlibet ænigma tropus? D. Minimé, nam ænigma ex omnibus verbis proprijs fieri potest, quale est illud Virg. Eclog. 3.

*Dic quibus in terris (& eris mihi magnus Apol-lo)*
*Tres pateat Cæli spatium non amplius ulnas.*

Et tunc non erit tropus. Si vero è verbis trāslatis fiat, in Allegoriam incidet, quale est hoc *Dic mihi quod flumen soleat conscēdere montes?* lachrimarum: & illud ex hoc nomine Muscatum effectum.

*Si caput est, currit: volitat cū vētre per auras:*
*Adde pedes, & edes; & sine ventre bibes.*

Vbi translatè prima sylla ba caput vocatur,

media venter, ultima pedes. Huc etiam omnia vulgata proverbia referuntur, ut Plato in Hippia. *Difficilia, quæ pulchra: Passar cochura por hermosura: no se cogen truchas a manos enxutas: la letra con sangre entra.* Et Pythagoræ symbola, ut, *A fabis abstineto: Quæ sunt uncis unguibus ne nutrias*, & joculares Griphi, ut illud Suidę: Vir nō vir, percussit non percussit, avem non avem, lapide non lapide, sedentem super arbore non arbore.

## *De Ironia.* *Cap. VI.*

M. QVid est Ironia? D. Dissimulatio, inversio, Irrisio, permutatio, vel illusio, irrisionis ergo inventa, quam sententiarum figuram multi esse volunt, cum sit in oratione, nos vero eandem speciem allegoriæ facimus, quod non solum aliud verbis, aliud sensu ostendit, sed contrarium omnino, quam dicit, intelligi vult, ut P. *Clodij mortem æquo animo nemo ferre potest, luget senatus: mæret equester ordo: tota civitas cōfecta senio est: squalent municipia; afflictantur coloniæ: agri deniq; ipsi tam beneficum, tam salutarem, tam mansuetum civem desiderant.* M. Qua ratione intelligitur? D. Pronunciatione, ut *Verres præ-*

*tor urbanus, homo ſanctus, ac diligẽs*, & in Clodium: *Integritas tua (mihi crede) te purgavit, pudor eripuit, vita anteacta ſervavit*, aut perſona, ut in Cat. *vir moderatus, & ſanctus L. Catilina*: aut rei natura, ut *ô præclarum cuſtodem ovium lupum.* M. Quando eſt ironia in oratione collocanda? D. Quando fuerit oſtẽſum contrarium, ut cum Cic. 2. in Cat. Catilinæ milites molles, & effeminatos eſſe oſtẽdiſſet, in illam perpulchram ironiam prorupit: *ô bellum magnopere pertimeſcendum! cum hanc ſit habiturus Catilina ſcortatorum cohortẽ prætoriam: Inſtruite nunc, Quirites, inſtruite contra has tam præclaras Catilinæ copias veſtra præſidia, veſtroſq; exercitus.* Huc refertur Antiphraſis cum nomen rei contrarium effertur, ut cum hæbetem acutum, vel malum Bonum vocamus. Ter in Andria. Heus bone vir, curaſti probé. Et Mimeſis, quæ fit cum alterius geſtũ, aut verba, irriſionis cauſa, imitamur, quam Ethopẹjam Quint. appellat. Et Sarcaſmos, id eſt, hoſtilis deriſio, qua victor victo illudit, ut Virg. Aen. 12.

*En agros, & quam bello Troiano petiſti*
*Heſperiam, metire iacẽs: hæc præmia, qui me*
*Ferro auſi tentare, ferunt: ſic mœnia condunt.*

## De Hyperbole. Cap. VII.

M. Quid est Hyperbole? D. Superlatio, vel ementies superjectio, quâ incredibiliter aliquid extollimus, aut imminuimus, & est Metaphoræ species, ut voces ad sydera jactant, quæ non debet esse ultra modum, licet sit ultra fidem. Cic. pro lege Man. *Sæpius cum hoste conflixit, quam quisquam cum inimico concertavit: plura bella gessit, quam cæteri legerunt: plures provincias confecit, quã alij concupierunt.* Et idem in joculari libello.

*Fundũ Varro vocat, quẽ possem mittere funda*
*Ni tamen exciderit, qua cava funda patet.*

M. Quibus modis efficitur? D. Quatuor, Similitudine, ut *Oculis micat acribus ignis*: cõparatione, ut *Fulminis ocyor alis*: *Qui candore nives anteiret, cursibus auras*: translatione frequentius, ut *Pericles orator dictus est tonare, fulminare, permiscere totam Græciam*: *Geminique minantur in Cælum scopuli.* Hyperbole denique hyperbolem superaddita, ut 2. Philip. *Quæ Charybdis tam vorax, Charybdim dico? quæ si fuit, fuit animal unum: Oceanus medius fidius vix videtur tot res, tam dissipatas, tam distantibus in locis positas, tam cito absorbere potuisse.* Sed omnium frequentissima est, cum plus

facto dicimus, ut 2. Philip. *Vomens Antonius frustis esculentis gremium suum, & totum tribunal implevit.* Quæ tunc Auxesis dicitur: Miosis vero, cum quid imminuitur, ut *Vix ossibus hærent.*

## *De Synecdoche.* *Cap. VIII.*

M. QVid est Synecdoche? D. Intellectio, quæ ad locupletandum sermonem maxime pertinet. M. Quibus modis efficitur? D. Octo: 1. cum pars pro toto in oratione ponitur, ut tectum pro domo, mucro pro gladio: 3. in Cat. *Vos in vestra tecta discedite: mucrones eorum à jugulis vestris rejecimus.* 2. Totũ pro parte, ut flumen pro aliqua ejus parte. Ecl. 1. *Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim: fontemq; ignemq; ferebant.* 3. Genus pro specie, ut Ales pro Aquila: Aen. 12. *Prædãq; ex unguibus ales Projecit fluvio.* 4. Species pro genere, ut pestis pro quovis malo: 2. Off. *Nulla tã detestabilis pestis est, quæ non homini ab homine nascatur.* 5. Vnitas pro multitudine, ut hostis pro hostes. Aen. 2. *Hostis habet muros, ruit alto à culmine Troja.* 6. Multitudo pro unitate, ut ad Brut. *Populo imposuimus, & oratores visi sumus;* cum de se tantum Cic. loquatur.

quatur. 7. Speciale pro generali, ut Curius pro homine frugi, & sancto: Bacchanalia pro vitijs: Iuv. sat. 2. *Qui simulant Curios, & Bacchanalia vivunt.* 8. Materia denique pro qualibet re ex ea confecta, ut ferrum pro gladio: æs, aurum, argentum pro numis: *Nos ferro trucidari oportebat.* Horat. lib. 1. epist. 2.

*Non domus & fundus, non æris acervus & auri,*
*Aegroto domini deducit corpore febres.*

Huic Synecdochi Antonomasia est quam simillima. M. Quomodo? D. Quia Synecdoche fit, ut dixi, cum species ponitur pro genere. Antonomasia vero cum species, vel speciale ponitur pro uno individuo.

*De Antonomasia, & Periphrasi.*

*Cap. IX.*

M. QVid est Antonomasia? D. Pronominatio, quæ aliquid, pro nomine proprio, per excellentiam, ponit, ut Orator pro Cicer. poëta pro Virgilio, urbs pro Roma. M. Quibus modis efficitur? D. Tribus præcipuis. Mutato nomine proprio in patronimicum, ut Aeacides, vel Pelides pro Achille: Anchisiades pro Aenea. In patrium, ut Arpinas pro Cicerone: Patavinus pro T. Livio. In cōmune, ut Propheta pro Davide, Apostolus pro D. Paulo; Philosophus pro Aristotele,

Huic

Huic finitima est Periphrasis, Antonomasiæ sola verborum copia dissimilis. M. Quid est Periphrasis? D. Circũloquutio, vel circuitio verborum, cũ pluribus verbis explicatur id, quod uno, vel paucioribus dici poterat, ut Romanæ eloquentiæ parens, pro Cicerone: Eversor Cartaginis, & Numãtiæ pro Scipione, & est apud poetas frequẽtissimus tropus, ut Aenei. lib. 2.

*Tẽpus erat, quo prima quies mortalibus ægris*
*Incipit, & dono divum gratissima serpit.*

Pro Nox erat. Fitq; interdum honestatis causa, ut apud Sallustium. Ad requisita naturæ secessit e via: & apud Cic. Detractio confectĩ consumptiq; cibi, &c. Si veró verbis superfluis abundaverit Perissologia dicitur, vitium periphrasi valde contrariũ, ut Ibant, qua ire poterant, qua ire non poterant stabant.

*De Metonymia, & Metalepsi. Cap. X.*

M. QVid est Metonymia? D. Hypallage, seu Denominatio, tropus in quo nomina transferuntur, & quasi verba pro verbis immutantur. M. Quotuplex est? D. Quadruplex, cum causæ per effecta, aut subjecta per adjuncta, contra vè significantur. M. Hæc divisio à doctis tradita doctis sufficiat: tu id apertius explica? D. Lubet. Methonimia fit

octo modis, qui ad divisionem dictam revocari solent: 1. Cum inventor pro re inventa ponitur, ut Ceres pro pane, Bachus pro vino, Venus pro libidine; Ter. in Eunuc. *Sine Cerere, & Bacho friget Venus*, idest sine pane, & vino friget libido. 2. Cum autor pro suis operibus usurpatur, ut, Cicero nunquam de manibus est deponendus: Aristoteles diligenter volutandus. 3. Cum ex eo quod continet, intelligitur id, quod continetur, ut Roma pro Romanis, Italia pro Italis, Aen. 6. *Illa inclyta Roma Imperium terris, animos æquabit Olympo*. 4. Cum possessor pro re possessa ponitur, ut Eamus ad me, id est, ad domu meam. Iam proximus ardet Vcalegon, idest, Vcalegontis domus. 5. Cum ex duce significatur exercitus, ut Cæsar Galliam domuit universam, id est Cæsaris exercitus. 6. Cum ab effectu res aliqua denominatur, ut Præceps ira, quia præcipites agit iratos; hilaris adolescentia, quia hilares reddit adolescētes: sic pallida mors, effrænata libido, tristis egestas. Et hæc adjectiva efficientis causæ vim, præcipuè apud Poetas, exprimunt. 7. Cum ex signo, vel instrumento aliquid demonstratur, ut ex toga pax: *Cedant arma togæ, cōcedat laurea linguæ*. Ex fascibus magistratus: Horat. lib. 1. epist. 6.

*Hic*

*Hic fasces dabit, eripietque curule importunus ebur:* Ex Armis bellum, *Arma virumq; cano:* ex libris studium, ut libris invigilare, id est, studijs vacare. 8. Cum virtutes, aut vitia, pro ipsis, in quibus insunt, ponûtur, ut pudor vel pudicitia pro pudicis, petulantia pro petulâtibus; *ex hac parte pugnat pudor, illinc petulâtia,* &c. Ex his octo Metonymiæ modis duo primi ad primum divisionis membrum pertinent: tres sequentes ad secundum: sextus ad tertium: reliqui ad quartum. M. Est eadem Hypallage poetis, ac oratoribus communis? D. Nequaquam, nam poetæ aliam habêt Hypallagem, nempe cum inverso rerum ordine aliquid impropriè dicunt, ut Virg. Aen. 6.

*Ibant obscuri sola sub nocte per umbras.*

Idest soli sub obscura nocte: Dare classibus Austros, id est, Austris classes. Oratores vero quasi verba pro verbis commutant. Si autem Metonymia in eadem dictione iteratur, Metalepsis dicitur. M. Quid est Metalepsis? D. Transumptio, tropus maximé improprius, qui ex alio in aliud viam præstat, ut Virgil. Eclog. 1.

*Post aliquot mea regna vidēs mirabor aristas.*

Ab aristis ad spicas, á spicis ad segetes, ab his ad æstates, ab æstatibus ad annos acceditur.

## De Troporum utilitate. Cap XI.

M. QVam utilitatem præ se fert Troporũ cognitio? D. Multiplicē: valet enim plurimum ad autores tam sacros, quam profanos intelligendos: ad poetarum fabulas explicandas: ad numeros, & Philosophorum figuras percipiendas: ad Aegyptiorum Hyeroglyphica penetranda: ad symbola, & emblemata cognoscēda: ad Aenigmata, proverbia, & apophtegmata interpretanda: ac deniq; ad nostram orationem Troporum varietate, sicut figurarum luminibus, illustrandã.

## De Figuris. Cap. XII.

M. QVid est Figura? D. Schemma, seu exornatio, qua à vulgari dicendi consuetudine mutatur oratio. M. Qua in re differt à Tropo? D. Quod tropus fit in uno verbo trãslato, figura verò in pluribus, & proprijs. M. Quot sunt figurarum genera? D. Duo, unum Lexeos, id est verborum, alterum Dianias, id est sententiarum. M. Quæ differentia est inter has figuras? D. Quod figuræ lexeôs, mutatis verbis, pereunt; figuræ Dianias non item, nam etsi verba mutes, immotæ figuræ permanent.

nent. M. Quot figuræ sub lexeos figura comprehenduntur? D. Tres, Repetio similis, Repetitio dissimilis, & Commutatio. M. Quid est Repetitio similis? D. Geminatio eiusdem verbi, in eodem sententię loco, sine ulla commutatione, cujus membra sunt quatuor, Epizeuxis, Anaphora, Epistrophe, & Symploce.

*De Epizeuxi, & Anaphora.* Cap. XIII.

M. QVid est Epizeuxis? D. Palilogia, Tautologia, Conduplicatio, id est, ejusdem verbi repetitio in orationis principio, sine ul.a interpositione verborũ; ut pro Mil. Tu tu remp. perdidisti: vos vos appello: ó cives cives: Me me adsum qui feci, &c. Nonnũquam interjicitur verbum, vel parenthesis, ut Maria undique, & undiq; Cælum; totum hoc quantumcumq; est (quod certè maximũ est) totum est, inquam, tuum. M. Quid est Anaphora? D. Epibole, Parisosis, vel Epanaphora, cum acri, & vehementi animó ab eodẽ principio sæpius ducimus orationem, ut, *Fecit iratus, fecit inimicus, fecit ultor injuriæ.* Et fit non solũ in principijs incisorũ, ut Vir. Geor. 1.

*Te dulcis conjux, te solo in littore secum,*
*Te veniente die, te discedente canebat.*

Sed

Sed membrorum etiam, ac periodorum: in principijs membrorum, ut 4. in Ver. *Verres calumniatores apponebat: Verres adesse jubebat: Verres cognoscebat: Verres sententiam pronuntiabat:* In principijs periodorum, ut contra Rul. *Quid tam populare, quam pax? qua non modo, quibus natura sensum dedit, sed etiã tecta, atque agri mihi lætari videntur. Quid tam populare, quam libertas? quam non solum ab hominibus, verum etiam à bestijs experti, atq; omnib? rebus anteponi videtis. Quid tam populare, quã otium? quod ita jucundum est, ut, & vos, & majores vestri, & fortissimus quisq; vir maximos labores suscipiendos putet, ut aliquando in otio possit esse,* &c.

## *De Epistrophe, & Symploce.*
### Cap. XIIII.

M. QVid est Epistrophe? D. Epiphora, vel Antistrophe, idest Conversio, quã idem verbum sæpius in finibus iteratur, ut 2. Philip. *Doletis tres exercitus populi Rom. interfectos? interfecit Antonius. Desideratis clarissimos cives? eos quoq; eripuit vobis Antonius. Autoritas hujus ordinis afflicta est? afflixit Antonius;* & est frequẽtissima apud poetas.

M.

M. Quid est Symploce? D. Epanastrophe, vel Cænotes, idest Complexio, quæ Anaphoram, & Epistrophem complectitur, ut Cic. Rhet. 4. *Qui sunt, qui fœdera sæpe ruperunt? Carthaginenses: Qui sunt, qui crudelle bellum in Italia gesserunt? Carthaginienses: Qui sunt, qui Italiam deformaverunt? Carthaginenses: Qui sunt, qui sibi postulant ignosci? Carthaginenses: videte ergo, quid conveniat eos impetrare.*

*De Repetitione dissimili, Epanodo, & Epanalepsi. Cap. XV.*

M. QVid est Repetitio dissimilis? D. Ejusdem verbi repetitio, non in eodem sententiæ loco, cujus genera sunt tria, Epanodos, Epanalepsis, atque Anadiplosis. M. Quid est Epanodos? D. Antimetabole, Metathesis, commutatio, vel regressio, cum eadem vox in principio & medio, vel in medio, & fine dissimili modo resonat v. g. *Non ut edam, vivo sed ut vivam, edo. Poema non facio, quia cujusmodi volo, non possum: & cujusmodi possum, nolo.* Huic reducitur contrariorũ habitatio, ut Autor ad Her. lib. 4. *In ocio tumultuaris: in tumultu solus es, ociosus: in re frigidissima cales: in re ferventissima friges: tacere cum* opus

*opus est, clamas; cum loqui convenit obmutescis. Ades? abesse vis; abes? adesse cupis: in pace bellum quæritas; & in bello pacem desideras.* Martial lib. 5. epig. 84.

*Insequeris, fugio; fugis, insequor; Hæc mihi mens est:*
*Velle tuum nolo, Dindyme, nolle volo,*

Et alibi: *Difficilis, facilis, jucundus, acerbus es idem:*
*Nec possum tecum vivere, nec sine te.*

Et illud ex Theocrito: *Quærentes fugit, & fugientes gloria quærit.* Et illud Lactantij de Phœnice post mortem renovata

*Ipsa quidē, sed nō eadē, quia & ipsa, nec ipsa est*
*Aeternam vitam mortis adepta bono.*

Ad eandem pertinet oratio, qua discriminis ostendēdi causa, ad verba, nomina, vel pronomina illico regredimur, ut Virg. Aen. 2.

*Divellimur inde*
*Iphitus, & Pelias mecum: quorū Iphitus ævo*
*Iā gravior: Pelias, & vulnere tardus Vlyssi.*

Hac etiam figura acuta responsa, carmina ingeniosa, & famosa: proverbia, & ænigmata mirum in modum exornantur. M. Quid est Epanalepsis? D. Ejusdem verbi repetitio, in principio, & fine, ut pro Marc. *Vidimus tuam victoriam præliorum exitu terminatam: gladiū*

*vaginæ*

*vagina vacuum in urbe non vidimus.* Et alibi. *Errabas Verres, vehementer errabas.* Hæc figura multū exornat poësim, ut Ovid. 2. de rem. amoris.

*Phœbus adest sonuere lyræ, sonuere pharetræ:*
*Signa Deum agnosco per sua, Phœbus adest:*

Et Iuvenalis.

*Crescit amor nummi, quātū ipsa pecunia crescit.*

Et illud antiquum.

*V. V. V. Corrumpunt corpora nostra;*
*V. V. V. Conservant eadem V. V. V.*

Hoc est Valnea, Vina, Venus. Huc reducitur Ploce, idest Copulatio, cum ejusdē verbi fit repetitio, cum emphasi, ut Lucian. in Or. *Simia semper est simia, quanvis aurea gestet insignia.*

## *De Anadiplosi.* Cap. XVI.

M. QVid est Anadiplosis? D. Ejusdem verbi reduplicatio in fine præcedentis, & initio subsequētis dictionis, ut 2. in Cat. *ô tēpora, ô mores! Senatus hoc intelligit, Consul videt, hic tamē vivit: vivit? imo vero etiam in senatum venit.* Et alibi: *Magna spes est reip. posita in juventute: in juventute, inquam, illa, quæ à cunabulis ipsis, tum moribus, tum litteris instituitur.* Et reduplicatur hoc modo non solū verba, sed sententiæ etiam, & orationes, ut,

In

*In horum etiam conspectum venire audes proditor patriæ? proditor,* inquam, *patriæ venire audes in horum conspectum?* Virg. Ecl. 8.

*Crudelis mater magis, an puer improbus ille?*
*Improbus ille puer, crudelis tu quoq; mater.*

Et hujus imitatio à Sedulio facta de Eva.

*Noxia tu cõjux magis, an draco perfid? ille?*
*Perfidus ille draco, sed tu quoq; noxia cõjux.*

Huc pertinent carmina illa, in quibus Echo sic resonat, ex Anonimio quodam vetere.

*Quæ celebrat termas Echo, & stagna alta Neronis,*
*Deludit voces concava sæpè meas.*
*Sæpè hic Narcissũ expecto, simul illa moratur:*
*Si queror, hæc queritur: si gemo, & illa gemit.*
*Quis nam clamor? amor: quis nam furor, uror: an Echo?*
*Echo. Quæ maior pœna in amore? mora.*
*Expectis Narcissus? Is sum: Quæ causa morandi?*
*Orandi: non hæc dicta notabit? abit:*
*Adfuerat? fuerat: nũ istic? hic: quem fugit iste?*
*Is te: etiam me? me. Quod malũ amare? mare.*
*Num veniet? veniet: quæ spes? æs: vincitur auro?*
*Auro: victor ero prodigus æris? eris.*
*Sunt pueri fragiles? fragiles: vi muneris? æris.*
*Quis docet hæc? Echo: cur bene clamat? amat.*

*De Cómutationis figuris, ac de Climace, & Traductione.* *Cap. XVII.*

M. QVot verborum figuræ in Commutatione continentur? D. Quatuor, Climax, Traductio, Paronomasia, & Correctio. M. Quid est Climax? D. Ascensus, vel gradatio, in qua non ante ad consequens verbum descenditur, quam ad superius concensum est, ut ad Att. lib. 2. epist. 23. *Si stas, ingredere: si ingrederis, curre: si curris, aduola*, & Heren. lib. 4. *Africano virtutem industria, virtus gloriam, gloria æmulos comparavit.* M. Quid est Traductio? D. Polyptoton, cum eadem verba in oratione, varijs casibus, modis, & generibus immutata ponuntur, ut, de claris orat. *Quæ didisceram tractare, quibus me assuefeceram, & quorum eram avidissimus, nunc omnia neglexi, & Anonymus, de Christi morte*

*Mors mortis morti mortem ò mors morte dedisti.*

Et Virg. Eclog. 5.

*Phylis amat Corylos, illas dū Phyllis amabit.*

Et Cic. in Ver. 7. *Certus locus, certa lex, certum tribunal.*

*De Paronomasia, & correctione verborum. Cap. XVIII.*

M. QVid est Paronomasia? D. Annominatio, cum in verbum simile, diversæ tamen significationis, mutatio fit, ut ad Her. lib. 4. *Avium dulcedo ducit ad aviam: Amari jucundum est, si nihil haberet amari: Statim veniã ad te, si veniam à te impetravero.* M. Quibus modis efficitur? D. Tribus, præter dictum, adjectione, detractione, & cõmutatione: adjectione, ut Cic. Rhet. 4. *Hic sibi posset temperare, nisi amori mallet obtẽperare*: detractione, ut Cic. ibid. *Si lenones, ut leones vitasset, meliꝰ famæ, ac vitæ consuluisset*; commutatione, ut, *Videte judices utrum homini navo, an vano credere malitis. Deligere oportet, quem velis diligere: Ex aratore orator factus est.* Huc pertinẽt allusiones, quibus multi utuntur, Lypsius præsertim, ut *Tu modo te cura, sed sine cura: Non, inquam, ut evadam, sed ut alia via vadam: non est incredibile, absurdum, & inauditum, sed credibile potius, & à surdis auditum: Quod studiosè curas, multas tibi affert curas*; & sexcenta alia orationi rarò interferenda. M. Quid est Correctio verborum? D. Epanortosis, cum verbũ in aliud melius pro nostro instituto commutatur,

tur, ut Ter. in Heaut. *Filium unicum adolescentem habeo: ah, qui dixi habere me, imo habui Chreme. Fuit fœlix, si potest ulla esse in scelere fœlicitas. Sed stuporem hominis, vel dicam pecudis attendite,* & pro Cælio: *Nisi mihi intercederent inimicitiæ cum istius mulieris viro, fratrem volui dicere: semper hic erro.*

*De aliis verborum figuris, quæ numerosæ appellari possunt.* Cap. XIX.

M. Sunt nè, præter dictas, aliæ verborum figuræ? D. Sunt & illæ quidem non paucæ, minutæ tamen: seligam vero decē, in quibus Cicero frequēs est, & in quarum concinnitate, vel nobis inuitis, aut minimè sentientibus, sponte sua numerus fluit, quare numerosas illas appellarem, quæ sunt Incrementū, Synonimia, Polysindeton, Asindeton, Adjūctio, Hypozeuxis, Compar, Anthiteton, Similiter cadens, & Similiter desinens. M. Quid est Incrementum? D. Figura, qua levioribus verbis graviora succedunt, & fit quatuor modis, primo, cum ordine ad summum perveniur: ut, *Hominem sum adortus, vulneravi, occidi.* 2. Cum ad summum statim acceditur, ut, *Matrem occidisti, quid amplius dicam? matrem*

*Occidisti.* 3. Cum supra summũ increscit oratio, ut 5. in Ver. *Facinus est vinciri civem Romanum, propè scelus verberari, parricidium necari, quid dicam in crucem tolli,* &c. 4. Cum à minori ad majus sic argumentamur: *Servi mei, si me isto pacto metuerent, ut te metuunt omnes cives tui, domum meam relinquendam putarem.* M. Quid est Synonimia? D. Schemma, in quo verba idem significantia, vel phrases congregantur, quasi non satis uno, & altero verbo, seu phrasi res demonstrari possit, ut Cic. Offic. 3. *Fallere civem non viri est boni, sed versuti potius, obscuri, astuti, fallacis, malitiosi, callidi, veteratoris, vafri;* & Philip. 2. *Tu ingredi in illam domum ausus es? tu illud sanctissimum limen intrare? tu illarum ædium Dijs penatibus os illud importunissimum ostendere?* M. Quid est Polysindeton? D. Figura, quæ cõjunctionibus abundat, ut rerum pondus lentius judicetur, & expendatur, sic, *P. Sestius patrente natus est, judice, & sapiente, & sancto, & severo.* & Virg. Georg. lib. 3.

*Armentarius Afer agit tectumq; laremq;*
*Armaq; Amicleũq; canẽ, Cressãq; pharetrã.*

M. Quid est Asyndeton? D. Dissolutio, quam alij articulũ, alij cõgeriem vocant, cum dêptis conjunctionibus dissoluté plura dicitur, ut

ut celeritas hominibus iratis, se se ostentatibus,& concitatis apta significetur. 2. in Cat. *Abijt,excessit,evasit,erupit. Veni,vidi,vici;* & Virgil. Aen. 9.

*Ferte citi ferrum date tela,scandite murum.*

*Ferte citi flāmas,date vela,impellite remos.*

M. Quid est Adjunctio? D. Zeugma, vel Præcisio, cum diversæ periodi partes uni verbo tribuuntur; ut pro Cluent. *Vicit pudorem libido,timorem audacia,rationem amentia:* quæ; si verbum præponatur, ut hic, appellatur Prothozeugma: si in medio collocetur Mesozeuma, ut Virg. Aen. 1.

*Qui tripodas,Clari lauros, qui sydera sentis,*

*Et volucrū linguas, & præpetis omina pēnæ.*

Si in fine, Hypozeugma, ut Cic. Rhetor. 4. *Africanum virtutem industria, virtus gloriam, gloria æmulos comparavit.* M. Quid est Hypozeuxis? D. Subjunctio, vel Disiunctio, cum singulis periodi sententijs, debita verba junguntur, ut *Siciliam adijt, Africam exploravit, inde Sardiniam cum classe venit.* M. Quid est Compar? D. Hysocolon, cum orationis membra, vel pari fere syllabarum numero proferuntur, ut pro lege Manilia. *Extrema hyeme apparavit: ineunte vere suscepit: media æstate confecit;* vel cum singula verba è

regione singulis correspondent, ut pro Mil. *Est enim, judices, non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti: non instituti, sed imbuti sumus.* Et illud Virg. in epig.

*Pastor, arator, eques, pavi, colui, superavi*
*Capras, rus, hostes, fronde, ligone, manu.*

M. Quid est Antitheton? D. Contrapositum, sive contentio, cum singula singulis opponũtur, ut 2. in Cat. *Ex hac parte pudor pugnat, illinc petulantia; hinc pudicitia, illinc stuprum; hinc fides, illinc fraudatio, postremo copia cum egestate; bona ratio cum perdita, mens sana cum amentia; bona denique spes cum omnium rerum desperatione confligit*; & post red. in sen. *Qui me à morte ad vitam, à desperatione ad spem, ab exilio ad salutem revocavit.* Huic etiam adhærent Negantia, ut pro leg. Man. *Cujus adolescentia ad scientiam rei militaris non alienis præceptis, sed suis imperijs; nõ offensionibus belli, sed victorijs; non stipendijs, sed triumphis est traducta:* & Sinichiostis, idest propositio, quæ duas res diversas colligit, ut *Tam deest avaro quod habet, quam quod non habet:* & Synchrisis, ubi gemina quidem junguntur vel diversa, vel contraria, sed numerosius, & paribus

feré membris, ut *Vigilas tu de nocte, ut tuis cōsultoribus respondeas: ille ut quo intendit maturè cum exercitu perveniat,* &c. & illa Temistoclis de Xerxe; *Mons procellosus navigatur, fretum integrum ponte cōmisso pedibus trajicitur: per medium Athum navigant triremes; in fluctibus currentē Medorum equitatum vidit Hellespontus.* Et Antisagoge, quæ paria paribus pensat, aut minora majoribus, aut majora minoribus, ut D. Hieronymus ad Heliod. *Paupertatem times? sed beatos pauperes Christus appellat: labore terreris? nemo athleta sine sudoribus coronatur. De cibo cogitas? sed famem fides non timet,* &c. M. Quid est Similiter cadens? D. Homæoptoton, cum orationis mēbra similibus casibus finiuntur, ut, *Cui præsto est consilium, non potest deesse auxilium:* & alibi. *Quæro ab inimicis, sint ne hæc investigata, comperta, patefacta, deleta, sublata, extincta per me.* Cavere tamen oportet, ne similiter cadētia ab accentu prædominante similia sint, ut in Vat. *Ob hasce omnes res scias te severissimorum hominum Sabinorum, fortissimorum virorum, Marsorum, & Pelignorum judicio notatū.* M. Quid est Similiter desinens? D. Homæoteleuton, cum in personis, aut partibus non declinatis clausulæ sibi consonando respon-

*dent, ut pro Archia. Hunc ego non diligam? non admirer? non omni ratione defendẽdum putem? Cum tristibus severè, cũ remissis jucundè, cũ senibus graviter, cũ juventute comiter agendum est;* fugies tamen similitudinem, ut *Vivis invidiosè, delinquis studiosè, loqueris odiosè.*

*De Figurarum muneribus.* Cap. XX.

M. OMnes hæ verborum figuræ ad quid præcipuè in oratione adhibentur? D. Ad delectandum, quod in eis mira quædã festivitas, dulcis suavitas, eximia venustas inesse solent. Omnes etiam valent ad probationis fidem, actionis favorem, affectuum varietatem, officij perfectionem, dicentis industriam, ingenij facilitatem, & styli laudem commendandam. Verum repetitiones cum acrimonia, & vi ad objurgandum: Epanalepsis ad ornandam poëmata hæc, & Anadiplosis ad animi libertatem, aut perturbationem exprimendam: Correctio ad modestiam declarandam: quæ, & Annominatio ad jocandum, vel irridendum: Dissolutio ad celeritatem, dolóris vim, criminum multitudinem, virtutum, laudumq; coacervationem plurimum valent. In figuris vero sententiarum, ut

minor

minor jucunditas, ita dicendi vis major existit; & in omnibus orationis decus, & ornamentum apparet, nam quod vestis corpori, sydera cælo, pratis flores, coronis margaritę, scenæ apparatus, & templis pegmata, hoc orationi figuræ, quibus nihil in oratorum supellectili magnificentius; tenendus est tamen modus, ne si nimiæ fuerint, ijsdem oratio potius obliui, quam distingui videatur.

*Quid, & quotuplex sit figura sententiarum, & Petitio. Cap. XXI.*

M. QVid est figura sententiarū? D. Exornatio, quæ non in verbis pingendis, sed in sententijs illuminandis miram habet dignitatem, quam, mutatis etiam verbis omnino retinet. M. In quot genera dividitur? D. In quatuor, Petitionem, sive interrogationē, Fictionem, Abruptionem, & Amplificationem. M. Quid est Petitio? D. Oratio, qua quid agendum, dicendumvé sit, velut alios cōsulétes, interrogamus, & est simplex, vel figurata. Simplex est, cum discedi gratia quidquam sciscitamur, ut Aeneid. 1.

*Sed vos, qui tandē? quibus aut venistis ab oris?*

Figurata vero, cūm aliquid affectus causa interrogamus; asseverantes, ut Nonne ita est?

miserationem moventes, ut pro Mil. *Revocare tu me in patriam, Milo, potuisti per hos, ego te in patria per eosdem retinere non potero?* quasi admirantes, ut pro Arc. *An vero, judices, vos soli ignoratis? vos hospites in hac urbe versamini? vestræ peregrinantur aures? neq; in hoc pervagato civitatis sermone versantur?* Querelas fundentes, ut Philip. 2. *A me C. Cæsar pecuniam? cur potius quã ego ab illo? an ille sine me vicit?* Objurgantes, ut pro Cæl. *Mulier quid tibi cum Cælio? quid cum homine adolescentulo? quid cum alieno?* Indignantes, ut Epist. famil. lib. 14. epist. 2. *Hem mea lux, meum desideriũ: unde omnes opem petere solebant, te nunc mea Terentia, sic vexari? sic jacere in lachrymis, & sordibus? idq; fieri mea culpa?* Miserationem concitantes, ut Tusc. 5. *Quid petam præsidij? quid exequar? quo nunc, aut auxilio, aut fuga freta sim? arce, & urbe sum orba: quò accedam? quò applicem?* M. Quot figuræ sunt sub Petitione? D. Sex, Addubitatio, Communicatio, subjectio, responsio, optatio, & deprecatio.

*De Addubitatione, & Communicatione,*
*Cap. XXII.*

M. QVid est Addubitatio? D. Affectus soliciti hominis, & in consilij perturbatione

batione nimium hæsitantis, ut Ter. in Eunu. *Vbi quæram? ubi investigem? quem perconter? quam insistam viam?* & Cic. in Ver. 7. *Quid agam, judices? quo accusationem conferam? quo me vertam?* Hæc figura vigoris addit orationi multum in exordio, & plurimum in Epilogo, præsertim si res demonstrata est. M. Quid est Cõmunicatio? D. Quædam cum alijs consultatio, & præcipuè cum adversario, ut 2. in Cat. *Quousq; tandem abutere, Catilina, patiẽtia nostra? quandiu nos etiam furor iste tuus eludet? quem ad finem sese effrænata jactabit audacia? Nihil ne te nocturnum præsidium Palatij? nihil urbis vigiliæ? nihil timor populi? nihil consensus bonorum omnium? nihil hic munitissimus habẽdi senatus locus? nihil horum ora, vultusq; moverunt?* Vtimur etiam hac figura, cum causa nostra freti adversarium judicem constituimus, ut confessionem ab eo extorqueamus. Cic. pro Rab. *De te ipso Labiene quæro, cum consules ad patriæ salutem, ac libertatem omnes vocassent, quid faceres tali in re?* M. Quod discrimen est inter addubitationem, & communicationem? D. Quod in prima apud nos met ipsos dubitamus: in secunda cum alijs rationem inimus.

## *De Subjectione.* Cap. XXIII.

M. QVid est Subjectio? D. Apophasis, Antipophora, sive Aetiologia, exornatio, qua nos, vel adversarios interrogamus, & statim respondemus, & modis quinq; potissimum efficitur: 1. Objecta, vel objicienda diluendo, ut *Venit ad Cluvium; quem hominē? levem? imo gravissimum: mobilem? imo constantissimum: familiarem? imo alienissimum.* 2. Adversarios refellendo, ut pro Mil. *Cur vesperi? quid necesse est tardè? quid convenit præsertim id temporis? Divertit in villam Pompei, Pompejum, ut videret? sciebat in Alsiensi esse procul inde. Villam, ut perspiceret? millies in ea fuerat* &c. 3. Per sufficientem partium enumerationem instando, ut, *Quæro igitur unde iste ex tenui, tam pecuniosus sit factus? patrimonium amplum relictum est? At patris bona venierunt. Hæreditas aliqua obvenit? at à suis exhæredatus est. Ex mercatura, quam agere constituit, quæstum maximum consequutus est? at ex ea re, quæ habere videbatur omnino amisit. Quare si his rationibus locupletatus non est, aut illi aurum domi nascitur, aut; unde non oportuit, subripuit.* 4. Crebro à nobis rationem poscendo, ut, *Maio-*

*res*

*res nostri, si quam unius peccati mulierem damnabant simplici in judicio, multorum maleficiorum convictam putabant. Quo pacto? Quia quā impudicam judicarāt, eam veneficij quoq; damnatam existimabant. Quid ita? Quia necesse est impudicam timere permultos. Quos istos? virū, parentes, &c. Quid postea? Quos tantopere timeat eos necesse est, ut quoquo modo possit, veneficio petat. Quare necesse est? Quia nulla potest honesta ratio eam retinere, quam magnitudo peccati facit timidam, intemperantia audacem, natura mulieris inconsideratam.* Et hunc quartum Subjectionis modum Cicero Rhetor. 4. Ratiocinationem appellat, quæ auditorum animos, tum sermonis venustate, tum rationum expectatione attentos retinet. 5. Cum ipsi dubitantes, aut quasi de eventu diffidentes rationem reddimus, ut, Cic. pro Flacco. *Quem enim alium appellem? quem obtester? quem implorem? Senatum nè? At is auxilium petit à vobis: & confirmationem autoritatis suæ vestræ potestati permissam esse sentit. An æquites Romanos? Iudicabitis principes ejus ordinis quinquaginta, quid cum omnibus senseritis. An populū Romanum? At is quidem omnem potestatē de bonis tradit vobis.*

Sed

Sed omnium argutissima subjectio est, quæ per Anaphoram, & Homæoptota vibratur, qualis est illa Ciceronis de Harusp. resp. *Tu meam domum religiosam facere potuisti? At qua mente? quam amiseras: qua manu? qua disturbaras: qua voce? qua incendi jusseras: qua lege? quam, ne in illa quidem impunitate tua, scripseras: quo pulvinari? quod stupraras: quo simulacro? quod ereptum ex meretricis sepulchro, in imperatoris monumento collocaras.* Subjectionis etiam species illæ sunt petitiones, quibus quærimus quid dicamus, aut quæ fingimus ignorare, v.g. *Quid reliquum est? nunquid omisi:* & Cic. 6. in Ver. *Sed earum rerum artificem, quem? quem nam? rectè admones, Polycletū esse dicebant.* M. Potest subjectio sine interrogatione usurpari? D. Et quidem eleganter, ut Cic. Parad. 5. *An ille mihi liber videtur, cui mulier imperat, cui leges imponit, præscribit, jubet, vetat, quod videtur? si poscit, dandum est; si vocat, veniendum; si ejicit, abeundum; si minatur, extimescendum.*

*De Responsione, & Optatione.*
*Cap. XXIIII.*

Quid est Responsio? D. Figura, qua interroganti aliud, vel augendi, vel decli-

declinandi criminis causa, ad aliud occurritur, ut, Vapulastiné? & quidem innocés. Dejecisti lucernam? vacuam. Occidisti hominē? latronem. M. Quid est Optatio? D. Voti significatio, ut: *Vtinam, Quirites, virorum fortiū, atq; innocentium tantam copiam haberemus, ut hæc deliberatio vobis difficilis esset*, &c. & Ovidius epist. 1.

*O utinā tunc, cū Lacedæmona classe petebat,*
*Obrutus insanis esset adulter aquis.*

Huc refertur imprecatio, ut, *Dij te perdant fugitive*: & Deprecatio, quā Deorum numen, aut cujuscunq; auxilium imploratur, ut, *A te ô sancte Iupiter auxilium petimus, ad te confugimus*: & pro Muræna: *Quæ cum ita sint, judices, primum reip. causa, qua nulla res cuiquam potior debet esse: vos, pro mea summa, & vobis cognita, in remp. diligentia, moneo: pro autoritate consulari hortor: pro magnitudine periculi obtestor, ut otio, ut paci, ut saluti, ut vitæ vestræ, & cæterorum civium consulatis*, &c. & invocatio, qua Oratores, & Poëtæ in rebus gravibus Deos, vel homines invocare solent, ut, *Musa mihi causas memora, quo numine læso*, &c. Hæ figuræ loco positæ vehementissimè auditorum animos concitant.

De

*De Figuris, quæ sub fictione continentur, ac primum de Concesſione, & Permisſione.*
*Cap. XXV.*

M. SVB fictione,quæ figuræ continentur? D. Sex, Concesſio,Permisſio, Prolepſis, Paralepſis, Hypotipoſis, & proſopopæja. M.Quid eſt Concesſio? D.Propoſitæ rei approbatio,cùm id,quod conceditur,ſtat á nobis, vel certè non nocet, atque adverſarium magis urget,ut, *Sit ſacrilegus, ſit fur, ſit flagitiorum omnium vitiorumq; princeps : at eſt bonus imperator.* Et pro Lig. *Habes igitur Tubero, quod eſt accuſatori maximè optandum,confitentem reum : ſed tamen hoc ita confitentem, ſe in ea parte fuiſſe,qua te Tubero*,&c. M. Quid eſt Permisſio? D. Alicujus rei permiſſa licētia,cum contrarium fieri malumus,ut Ter. in Adelphis. *Profundat, perdat, pereat, nihil ad me attinet*,& Virg. Aen.4.

*I,ſequere Italiã ventis, pete regna per undas.*

Hæc à nonnullis Inſultatio dicitur.M.Quod diſcrimen eſt inter Concesſionem,&Permisſionem? D.Quod Concesſio in dictis,& argumentis; Permisſio in factis efficitur.

(?)

*De Prolepsi.* Cap. XXVI.

M. QVid est Prolepsis? D. Occupatio, qua quod objici potest, ante occupatur, & tacitis hominum cogitationibus respondetur. M. Vbi collocatur? D. In exordijs plerumque, ut pro Rosc. *Credo ego vos, Iudices, mirari, quid sit, quod cum tot summi oratores, hominesq; nobilissimi sedeant, ego potissimum surrexerim, qui neq; ætate, neq; ingenio, neque autoritate sim cum ijs, qui sedeant, comparādus:* & deinde subdit causas. Qui exordiendi modus à Prolepsi, Quintiliani ætate, tam erat communis, ut omnes oratores ab ea exordirentur. Solet etiam in fine cujusq; rei tractatæ collocari, ut pro Cæl. *Dicet aliquis: Hæc igitur est tua disciplina? sic tu instituis adolescentes? ob hanc causam tibi hunc puerum parens commendavit, ac tradidit? Ego si quis, Iudices,* &c. Hac figura orationis susceptę causas reddimus: hac nos á suspicionibus defendimus, ac purgamus: hac adversariorum dicta, vel dicenda diluimus: hac denique ironicè aliena irridemus.

(:?:)

## *De Paralepsi,& Hypotyposi.* *Cap. XXVII.*

M. QVid est Paralepsis? D. Præteritio, seu Prætermissio, qua simulamus nos dicere nolle, quod tunc maximè dicimus, ut 4. in Ver. *Mitto vincla, mitto carcerem, mitto verbera, mitto secures, crucem deniq; illam prætermitto, quam iste civibus Romanis testẽ humanitatis in eos, ac benevolentiæ suæ voluit esse mitto, inquam hæc omnia*, &c. Huc pertinent simulationes illæ, quibus fingimus rem tantã esse, ut verbis exprimi non possit; vel tã multiplicem, & variam, ut multum temporis ad dicendum postulet, ut pro Marc. *Nullius tantum est flumen ingenij, nulla dicendi, aut scribendi tanta vis, tantaque copia, quæ non dicam exornare, sed enarrare, C. Cæsar, res tuas gestas possit*, & alibi. *Dies jam me deficiet, si quæ dici in hanc sententiam possunt, coner exprimere, de corruptellis, de adulterijs, de protervitate, de sumptibus immensa oratio est.* Et valet multum ad affectus concitandos, ad honestam sui, vel aliorum prædicationem, & ad orationis brevitatem, seu amplificationem. M. Quid est Hypotyposis? D. Demonstratio: vel rei, personæ, loci, & temporis descriptio, ita illustris,

ut

ut geri potius, quam audiri videatur, ut Cic. post reditum in senatu. *Primum processit, qua autoritate vir? vini, somni, stupri plenus, madenti coma, composito capillo, gravibus oculis, fluentibus buccis, pressa voce, & temulenta:* & illa Marci Cœlij in Antonium. *Ipsum offendunt temulento sopore profligatum, totis præcordijs stertentem, ructuosos spiritus geminare, præclarasque contubernales ab omnibus spondis transversas incubare, & reliquas circumiacere p.ssim, quæ tamen terrore exanimatæ, hostium adventu percepto, excitare Antonium conabantur. Nomen inclamabant, frustra cervicibus tollebant, blandius alia ad aurem invocabat, vehementius etiam nonnulla feriebat. Quarum cum omnium vocem, tactumque nosci taret, proximè cujusque collum amplexu petebat, nec dormire excitatus, nec vigilare ebrius poterat, sed semisomno sopore inter manus centurionum, concubinarumque jactabatur.* Nihil, inquit Fabius, his nec credibilius fingi, nec vehementius exprobrari, nec manifestius ostendi potest. Nec immerito, autor enim depinxisse, non narrasse; lector spectasse, non legisse videtur.

(:)

De Prosopopæja. Cap. XXVIII.

M. Quid est Prosopopæja? D. Ficta personarum inductio, cum absentem, aut mortuum, aut rem mutam, vel inanimem loquentem inducimus, quam Cic. Rhet. 4. conformationem appellat. M. Quotuplex est? D. Triplex, plena obliqua, & muta. Plena est cum ipsa persona ficta loquens inducitur, cũ apparatu, idest, cum præfaciuncula, quando assumitur, cum præcisione, quando deponitur, ut illa Ciceronis pro Cælio: *Existat igitur ex hac ipsa familia aliquis, ac potissimum cæcus ille: minimum enim dolorem capiet, qui istam non videbit. Qui profecto, si extiterit, sic aget, & sic loquetur: Mulier quid tibi cũ Cælio? quid cum homine adolescentulo? quid cum alieno? cur tam familiaris huic fuisti, ut aurum cõmodares: aut tam inimica, ut venenum timeres? non patrem tuum videras? non patruum? non avum, proavum, atavum audieras consules fuisse?* &c. *Sed quid ego, Iudices, ita gravem personam induxi, ut & verear, ne se idem Appius repente convertat, & Cælium incipiat accusare, illa sua gravitate censoria.* Obliqua Prosopopæia est, cum ipsi nos pro persona loquimur, ut illa pro C. Balbo. *Existat ergo ille vir parum-*

*per*

*per cogitatione vestra, quoniam re non potest, ut conspiciatis eum mentibus, quem oculis non potestis: dicat se non imperitum fœderis, non rudẽ exemplorum, non ignarũ belli fuisse: se P. Africani discipulum, ac militem, se stipendijs, se legationibus bellicis eruditum, se, si tanta bella legisset, quanta gessit, & confecit, si tot consulibus meruisset, quoties ipse consul fuisset, omnia iura belli perdiscere, ac nosse potuisse,* &c. Muta est, cum cogitationi vocem tacitam obversari fingimus, ut 7. in Ver. *Occurrebat illa ratio, Quid Cleomeni fiet? poterone animadvertere in eos, quos dicto audientes esse iussi? missum facere eum, cui imperium, potestatemq; permisi? potero nè eos afficere supplicio, qui Cleomenem sequuti sunt? ignoscere Cleomeni, qui secum fugere, & consequi iussit? potero nè in eos esse vehemens, qui naves inanes non modo habuerunt, sed etiam apertas? in eum dissolutus, qui solus habuerit cõstratam navem, & minus exinanitam? Pereat Cleomenes unà. Vbi fides? ubi execrationes? ubi dextræ, complexusq;* &c. Hæc à nonnullis sermocinatio dicitur, quæ veré fit cum aliquam personam apté loquentem inducimus, ut 4. ad Her. *Irrumpit in ædes subito, deinde magna voce; Vbi est, inquit, iste beatus ædium dominus? quin mihi præsto est? quid tacetis? hic alij omnes*

 *stupidi*

*stupidi timore obmutuerũt. Vxor illius, cum maximo fletu se se ad istius pedes abjecit, Parce,* inquit, *& per ea, quæ tibi dulcissima sunt in vita, miserere nostri, noli extinguere extinctos, fer mãsuete fortunam, nos quoq; fuimus beati, nosce te esse hominem,* &c. Hac figura sæpe utuntur historici, comici, alij, qui personas loquentes faciunt. Huc referri potest Dialogismus, qui est ficta personarum collocutio, ut pro Planco. *Male judicavit populus: at judicavit: non debuit: at potuit: non fero, at multi clarissimi, & sapientissimi cives tulerunt.* Hæc figura omnium est vehementissima, & si verba fictis personis maximè conveniunt, roboris habet plurimum ad amplificandum, suadendum, miserandum, convincendum, objurgandum, quærendum, laudandum, movendum, deliberandũ, & uno verbo, ad quãvis vehementem animi perturbationem excitandam, in epilogis præsertim, dialogis, tragædijs, & comædijs, quæ in hoc genere componuntur.

*De Abruptionis figuris Apostrophe, Aposiopesi, & Epanorthosi. Cap. XXIX.*

M. QVot sunt Abruptionis species? D. Tres, Apostrophe, Aposiopesis, & Epanor

Epanorthosis. M. Quid est Apostrophe? D. Aversio, qua oratio á recto cursu ad aliud detorquetur, vel ab una persona ad aliam, vel à populo ad Deum, Sanctos, Cœlum, Sydera, terram, homines, solitudines, lucos, & sylvas, ut Philip. 2. *Te miror Antoni, quorum facta imitere, eorum exitus non perhorrescere*. Hæc si oportunè collocetur, cum oratio ferbet, auditorum animos vehementissimè concitat, præsertim si cū interrogatione conjungatur, ut illa Ciceronis: *Quid enim Tubero tuus ille districtus in acie Pharsalica gladi⁹ agebat?* &c. Quâ Cicero non solum Cæsaris animum à Ligario maximè aversum movit, flexit, mitigavit, sed etiam vicit, expugnavit, & ut illi parceret, invitum coegit. M. Quid est Aposiopesis? D. Reticentia, Interruptio, vel Præcisio, cum aliquid reticetur, ut iræ affectus ostendatur. M. Quotuplex est? D. Quadruplex, 1. cum flagrans quis iracundia sermonem abrumpit, ut Terent, *Quid ais omnium?* & Chremes interrogatus cur filiam Ciniæ spondere nollet respōdit: *Quā ob rē me rogas? homini*. 2. Cū sermo alio trāseūdi gratia præciditur, ut, *Aliter si feceris: sed reprimam me*: Et Ter. *Quē quidem ego si sensero: Sed quid opus est verbis*. 3. Cum quid prosequendo reticetur, sine

transitione ad rem aliam, ut, *Tam ob par vulā rem penè ex patria? turpe dictu!* 4. cum plus intelligitur, quam dicitur, per emphasim, ut Virgilius 1. Aen.

*Quos ego, sed motos præstat cōponere fluctus.* Idest, ego Neptunus maris Deus, cujus potentia tanta est, ut in quiduis animadvertere possim, vos ex aquarum vapore procreatos, non verbis, sed verberibus castigabo: & Terentius: *Ego ne illam? quæ illum? quæ me? quæ non? sine me modo, mori malem:* Reticētiæ usus, & quidem elegantissimus in oratione locum habet, cum quid astutè relinquitur, ut de se laus, aut de illo suspicio major cómoveatur, & invidia concitetur, ut Cic. Rhet. 4: *Populus Rom. me, nolo dicere, ne cui arrogans videar; te autem sæpè ignominia digum putavit,* & ibidē, *Tu istud nunc audes dicere, qui nuper alienæ domui: non ausim dicere, ne cum te digna dixero, me indigum cuipiam dixisse videar.* Huic finitima est Synecdoche verborum exornatio, cum substractum ex oratione aliquid satis ex cæteris intelligitur, ut *Data Lupercalibus, quo die Antonius Cæsari.* Vbi deest Diadema imposuit, quod facilé intelligitur. M. Quid est Epanorthosis? D. Propositæ sententiæ correctio, & emendatio, ut 2. de Off. *Italiā ornare, quam*

*quam domum suam maluit: quanquam Italia or nata, domus ipsa mihi videtur ornatior.* M. Qua in re differt à correctione figura lexeos? D. Quod in illa verbum, in hac sententia corrigitur. Huc pertinet sui ipsius revocatio, ut, *Sed quid ego his testibus utor....*

*De Figuris ad amplificandum aptis, ac prius de Exclamatione, ac Sustentatione.*

*Cap. XXX.*

M. SUB Amplificatione, quæ figuræ continentur? D. Quatuor, Exclamatio, Sustentatio, Congeries, & Licentia. M. Quid est Exclamatio? D. Orationis elatio vehementior ad augendum reperta, in qua velut impotens affectus erūpit; ut *O frustra suscepti mei labores: ò spes falaces; ò cogitationes inanes meæ.* Admittit etiam hoc schemma illusionē, ut, *O præclarum custodem ovium lupū*, & obtestationem, ut pro Deum atq; hominū fidē! & admirationē *ò clementiam admirabilem*, & indignationem, ut, *O tempora! ò mores!* & commiserationem, ut, *O meam calamitosam senectutem, ò me nunquam sapientem*, & molestiam, atq; tristitiam, ut, *O domus antiqua, quam dispari domino dominaris*, & execrationem, ut, *ò scelus, ò portentum in ultimas terras exportandum.* Cujus formulas rebus tragicis, funestis-

que cædibus, & invectivis aptissimas audi. O dementissimi furoris belluam, Hircanis tigribus prognatam ad latrocinium patriæ, ad Italiæ pestem, ad totius mundi perniciem genitam & ex omnium sordium colluvie cócretam! O ultimum inferorum portentum! ó furiarum sacris initiatam, & impijs dæmonum execrationibus devotam! ó infaustissimam lucem, & omni nocte tristiorem, qua hiatu discesserunt inferi, ut te, cum jam sustinere non possent, te inquam istis terris importunissimum animal evomerent! o si tuus ille natalis dies in annorum redeat curriculum, extabescat protinus; aut feralibus cometarum portentis funestetur. Non est, non est meum, auditores, in tanta doloris acerbitate, exclamare: opus esset, vel ipso Caci ore flammarum globos eructanti, vel Tyestæ, aut Oedipi imprecationibus, neq; tamen ad tanti criminis detestationem pares essent. Et acclamationem, seu epiphonema, quod rei narratę, vel probatę summa est acclamatio, ut Cic. pro leg. Man. *Et quisquam dubitabit, quid virtute perfecturus sit, qui tantum autoritate perfecerit?* & 1. Aen.

*Tanta molis erat Romanam condere gentem.*

M. Quid est Sustentatio? D. Sententiæ dilatatio,

tatio, qua multum auditorum animi suspenduntur, & tandem aliquid inopinatum objicitur. Hujus figuræ mirum exemplum habes apud Ciceronem. 6. in Ver. quod incipit ab illis verbis, *Quæ fuet istæ custodiæ? apud quos homines? quemadmodum est asservatus? Latomias Syracusanas omnes audistis, pleriq; nostis. Opus est ingens*, &c. & 7. in Ver. *Quid deinde? quid censetis? furtum fortassè, aut prædam aliquam? spectate facinus, magis quam vultis, improbum: vincam tamen expectationem omnium*, &c. & Ter. Heauton Act. 5. scen. 1. *In me quidvis omnium horum convenit, quæ sunt dicta in stultum, caudex, stipes, asinus, plumbeus, in illum nil potest: nam exuperat ejus stultitia omnia hæc.* Huic affinis est Commoratio figura, seu expollitio, qua eandem rem diversé variamus, atq; distinguimus, & fieri solet in loco firmissimo, ubi tota causa cōtinetur. Cic. pro Flac. summā Græcorū omniū perfidiam vituperans. hæret in eadē, cōmoraturq; sententia, sic, *Testimoniorum religionem, & fidem nunquam ista natio coluit; totiusq; hujusce rei, quæ sit vis, quæ autoritas, quod pondus ignorat.* Post alijs verbis idem sic dicit. *Quibus jusjurandum jocus est: testimonium: ludus, existi-*

*existimatio vestra, tenebræ: laus, merces, gratia, gratulatio proposita est omnis in impudente mendatio.* Paulo post per partes discurrit hoc modo. *Sed propius accedam, de his testibus dicam,* &c. & pro Marc Cæsarem laudans: *Nihil*, inquit, *tibi ex ista laude Centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit*, ex fonte cætera tibi assume.

*De Congerie, & Licentia. Cap. XXXI.*

M. QVid est Congeries? D. Frequentatio, qua res variæ, & per totam confirmationem, quasi sanguis, per corpus dispersæ in unum locum coacervantur, ut pro P. Sestio, *Si sceleftum est amare patriam, pertuli pænarũ satis: eversa domus est, fortunæ vexatæ, dissipati liberi, raptata conjux, frater optimus incredibili pietate, amore inaudito, maximo in squalore volutatus est ad pedes inimicissimorũ, ego pulsus aris, focis, Dijs penatibus, distract⁹ à meis carui patria, quam (ut levissimè dicam) certè texerã, perculi crudelitatem inimicorum, scelus infideliam, fraudem invidorum.* Congeries item á multis appellatur verborum, & sententiarum idem significantium acervus, & Synonimia, ut pro Mil. *Tu P. Clodij cruentum cadaver ejecisti do-*

*sti domo, tu in publicum ejecisti: tu spoliatū imaginibus, exequijs pompa, laudatione infelicissimis lignis semiustulatum nocturnis canibus dilaniandum reliquisti,* &c. M. Quid est Licentia? D. Orationis libertas, atque fiducia, mentis affectum liberius exprimens, quam alij Parrhesiam vocant, ut 4. Rhet. ad Heren. *Miramini, Quirites, quod ab omnibus vestræ rationes deserantur: quod causam vestram nemo suscipiat: quod se nemo vestri defensorē profiteatur: id tribuite vestræ culpæ. Recordamini quos habueritis defensores, studia eorū vobis ante oculos proponite: deinde omniū exitus considerate. Tū vobis veniat in mentē, ut vere dicā, negligentia vestra, sive ignavia potius illos omnes ante oculos vestros trucidatos esse,* &c. At ne licentia nimium acrimoniæ habere videatur, aliqua laude leniri poterit, ut si audientium animi illa commoveantur, hac omnino mitigentur, ut ibid. *Hic ego virtutē vestrā quæro, sapientiā desidero: veterē consuetudinē requiro.* M. Restāt ne aliæ sententiarum figuræ, ad amplificandum, usu, & cognitione dignę? D. Nullæ: nisi huc inferre volumus, tanquam sententiarum figuras, Definitionem, Divisionem, Distributionem, Ratiocinationem, & Exemplum, quæ à nobis inter locos Topicos, ab alijs etiam

inter

inter Dianias figuras collocantur. Quibus omnibus si addideris verba tráslatitia superlata, duplicata, iterata, cognomina, dissoluta, & ascendentia, quæ ex Translatione, Hyperbole, Epizeuxi, Anaphora, Synonimia, Dissolutione, atq; Incremento promanant, Multis sententiarum luminibus, & rationum splendore illuminata, efficies non solum, ut amplificetur oratio, sed ut tua compositio doceat, delectet, moveat.

*De Compositione, sive Concinnitate, ac de Dilucida oratione. Cap. XXXII.*

M. Quid est Compositio? D. Concinnitas hoc est verborum concinna, & numerosa constructio, qua levis, & ęquabilis, suisq; modulis, & numeris perpolita fluit oratio, & aptis constructa partibus periodus numerose cadit: & efficitur clara, ut intelligatur, brevius ne tædium afferat: illustris, ut moveat: suavis, ut delectet. M. Quot sunt ejus membra? D. Quatuor, Dilucida oratio, Collocatio, & ordo verborum, junctura dictionum, & Stylus numerosus. M. Quid est Dilucida oratio? D. Idem quod aperta, clara, & perspicua. M. Quotuplex est? D. Triplex, una rerum, altera verborum, tertia rerum, & verborum.

borũ. Poteſt enim eſſe res aperta, ſed verba, quibus exprimitur, obſcura, ut ſi quis pro coclea dicat Terrigena, herbigrada, domi portans, ſanguine caſſa. Poſſunt etiam eſſe verba clara, & aperta, ſed eorum ſenſus cognitu difficilis, qualia ſunt Ariſt. opera, in quibus, ut ait Cicero, flumẽ orationis aureum eſt, ſed magna rerũ obſcuritas, ut, de Relatione cap. 3. *Ad aliquid vero talia dicuntur, quæcumque hæc ipſa, quæ ſunt aliorum eſſe dicũtur, vel quomodolibet aliter ad alterum.* Oratoris autem eſt & rerum, & verborum perſpicuitatem diligentiſsimé ſervare. Eſt enim ſermo nobis à natura datus, ut quod mente concipimus, idẽ oratione proferamus, quæ quó clarior, eò melior habenda eſt.

*De Dilucidæ orationis vitijs.* *Cap. XXXIII.*

M. QVid eſt nobis conſiderandum, ut Dilucida fiat oratio? D. Duo in primis. unum, ut ſint verba latina: alterum, ut ſint cõſequẽtia: quod niſi fiat, in duo vitia, quæ orationem maximé obſcurant, facilé incurretur, barbariſmum, & ſolœciſmum. Nam in ſimplicibus verbis, quidquid non eſt latinum, Barbariſmus dicitur: in conjunctis, quidquid nõn eſt conſequens Solœciſmus appelletur.

M. Quæ vitia sunt in oratione vitanda, præter solæcismum, & barbarismum, ut dilucida efficiatur? D. Septem, 1. Dicēdi ambiguitas. 2. Periodus in longum dilata. 3. Obscura Allegoria. 4. Inconcinna verborum mixtura. 5. Parenthesis longa. 6. Verba inusitata, & obsoleta. 7. Quidquid non est necessarium.

*De Dicendi Ambiguitate.* *Cap. XXXIIII.*

M. QVid est dicendi ambiguitas? D. Amphibolia, quæ modis accidit multis: seligam tamen frequentiores.

1 Per geminum accusativum, ut illud Enij; *Ajo te Aeacida Romanos vincere posse*, & illud Terentij, *Lachetem audivi percussisse Demæam.*

2 Per casus, ut, *Cælo decurrit aperto.* Dubitari enim potest, an per apertum Cælum, an cum Cælum esset apertum, decurreret.

3 Per collocationem, ut, *Testamento quidam jussit poni statuam auream hastā tenentē*: ubi dubitat Quintilianus, utrum statua hastam tenens aurea esse debeat, an hasta sola in statua alterius materiæ.

4 Per Elypsim, sive dictionum defectum, ut *Pietatē nati*, scilicet, vides: *Absum castra bidui*,

biduі, scilicet, iter: nihil enim est contra consuetudinem autorum omittendum.

5 Per confusionem personarum, ut, Quidã testamento dixit: *Hæres meus uxori meæ vassorum argenteorum pondo centũ, quæ volet, dato.* Vbi non immerito dubitare possumus, ad quem illud Volet referatur.

6 Per Homonyma, idest, per nomina variæ significationis, ut, Si quis servum habeat, qui Taurus vocetur, & testamentum faciẽs dicat: *Taurum dono amico meo Titio:* postea vero hæres Titio bobem se debere dicat; contra Titius servum petat, unde ambiguitas, & cõtroversia nascitur.

7 Per verbum commune, ut, Si quis diceret: *Cato injustè criminatur,* ubi dubium est, an Cato aliquem in crimen vocet: an ab aliquo ipse vocetur.

*De Periodi longitudine, ac brevitate.*
*Cap. XXXV.*

M. QVid est Periodus? D. Orationis clausula, quæ expleto sensu, & numero, puncto concluditur: quam nos ambitum, circuitum, comprehensionem, continuationem, circumscriptionem dicimus: quia periodus,

si bona eſt, anguſto circuitu comprehẽditur, conciſis membris, & inciſis continuatur, & brevi ſententia circunſcribitur, unde nos á longis periodis abſtinere debemus. M. Quomodo? D. Si ejus partes mentis oculis facilè omnes perluſtrari, & uno ſpiritu volvi poſſint. Quare Cicero periodum duobus membris non eſſe breviorẽ, neq; quatuor longiorem expetit. Nam ſi periodus eſt nimis brevis, aures non adimplet; ſi nimis longa eaſdem obtundit. Sed tamen hæc regula non poteſt eſſe perpetua: ſi quidem frequenter accidit, ut vel citius inſiſtendum ſit, ita ut unũ tantum membrum ponatur, quod plenam, & abſolutam ſententiam ſuis partibus comprehendat; vel longius procedendum, ut non tãtum quatuor, ſed interdum etiam plura, in uno ambitu ſint ponenda: præſertim cum aliqua narrantur, vel affectus cauſa inciſim, aut membratim efferuntur: hoc eſt, cum in ſingulis inciſis, & membris liberior inſiſtit oratio, nulla eam vinciente particula. Periodus tamen mediocris ſemper eſt probanda, quæ Ciceroni in Orat. quatuor velut Hexametris verſibus, quatuorve membris fere conſtat. At ſi plura habuerit, cavendũ eſt, ne obſcura, vel affectata eſſe videatur: & ita pũctis diſtincta,

atq;

atq; signata sit, ut incissum dextra semicirculi parte notetur, membrum duobus punctis: periodus uno puncto, sic: *Ante focum, si frigus erit: si messis, in umbra.* M. Quid vocas incissum? D. Membri partem, quæ nec integram sententiam, nec sententiæ partes denotat, sed nomina, verba, vel oratiunculas, quibus deest verbum, aut quæ per se nihil efficiunt, sed pronunciantis spiritum, ne defatigatus ad punctum veniat, intertumpunt. M. Membrum quid est? D. Oratio plena, & suis numeris absoluta, sed cujus sensus adhuc ex sequentibus pendet, ut Cic. in Somn. Scipio. *Principio nulla est origo: nam ex principio oriũtur omnia: ipsum autem nulla ex re fieri potest: nec enim esset principium, quod gigneretur aliũde.* Si vero membra inter se fuerint opposita, non puncto gemino, sed semicirculo, & puncto sic notantur; ut Cic. *Tu, quid divitiæ valeant, libenter spectas; quid virtus non item.*

*De obscura Allegoria, mixtura verborum, & Parenthesi longa. Cap. XXXVI.*

M. QVid est obscura Allegoria? D. Metaphora continuata, quæ in Aenigma transit, ut illa Cæcilij, *Quadrantaria Clitemnestra*

*nostra in triclinio Coa, in cubiculo Nola*: & illa Ciceronis de Quinto fratre: *Frater meus maior est dimidius, quam totus*. M. Quid est mixtura verborum? D. Immutatio dictionum à propria sede in impropriam, qualis in illo Virg. versu Aen. 1.

*Tres Notus abreptas in saxa latētia torquet,*
*Saxa vocāt Itali, medijs quæ in fluctib⁹ aras.*

Huc refertur Hyperbaton obscurum, idest confusa, & perturbata verborū transgressio, & quæ constat membris, & incisis permixtis inter se, atq; complicatis, ut Virg. Aen. 1.

*Vina bon⁹, quæ deinde cadis onerarat Acestes*
*Littore Trinacrio, dederatq; abeūtibus heros*
Dividit, &c.

Et Cicero pro Muræna. *Neq; enim si tibi tum, cum peteres consulatum, affui; id circo nunc, cū Murenam ipsum petas, adjutor eodem pacto esse debeo*. M. Quid est Parenthesis longa? D. Oratio periodo interposita, justo longior, qua sublata, periodus manet integra, ut illa D. Hieronymi, epistola ad Marcellam: *Ambrosius (quo chartas, sumptus, notarios ministrante, tam innumerabiles libros verè Adamantius, & Calcenterus noster explicavit) in quadam epistola*, &c. M. Quæ vocas inusitata verba. D. Quæ á bonis autoribus, non usurpantur, & à coni-

communi doctorum usu, & consuetudine recedunt (ut supra diximus) quorum frequentia intolerandam efficit obscuritatem. Quoniam igitur, ut Quintiliani utar verbis) auditoribus grata sunt ea, quae cum intellexerint acumine suo, delectantur: nobis prima sit virtus perspicuitas, propria verba, rectus ordo, non in longum dilata conclusio, nihil neque desit, neque superfluat, ita sermo, & doctis probabilis, & planus imperitis erit. Vtrisque tamen gratissimus, si Collocatio, & ordo verborum opportuné adhibeatur.

*Quid, & quotuplex sit collocatio, & ordo verborum. Cap. XXXVII.*

M. Quid est Collocatio, & ordo verborũ? D. Ipsa orationis recta compositio. Nam quemadmodũ architectus ordine certo lapides, & ligna in ædificijs collocat: sic nos judicium adhibere debemus, quæ cuique loco verba perspicua, & ornata conveniant. Nam illa etiam, quæ optima sunt vocabula venustatem omnem amittũt, nisi eorum collocatio per opportuné fiat. M. Quotuplex est collocatio? D. Duplex, una sua sponte fusa, & naturalis, ubi vocandi casus, aut rectus

præcedit, sequitur verbum, tum adverbium, postremo casus verbi, præpositionis,& communis:nomen rei præponitur apposito,& casui cuicumque,qui regitur ab illo v.g.Patres Conscripti dies hodiernus attulit finem silētij diuturni, quo usus eram his temporibus, Altera collocatio est artificiosa, versa, obliqua,& mutata, de qua nunc agimus, quod sit eloquutionis pars, in qua obliqui casus præcedunt,ut pro Marc.*Diuturni silenty P.C, quo eram his temporibus usus,non timore aliquo,sed partim dolore,partim verecundia,finem hodiernus dies attulit.*&c.

*Viginti regulæ,ad collocationem rectè faciendā.*
*Cap. XXXVIII.*

M. QVibus regulis utemur, ad collocationem hanc rectè disponendam? D. 1 Viginti;quarum prima,& in primis obseruanda est, ut ab obliquis, posterioribusque dictionibus(ut modo dicebamus)collocatio incipiatur,quæ obliqua dicitur.v.g. O Cæsar tu adeptus es monarchiam imperij summa virtute,magnisq; laboribus.Inverte sic, Magnis laboribus, summaq; virtute imperij monarchiam tu Cæsar adeptus es.

Nomen

2 Nomen substantivum epitetis ornabitur, quibus mirum immodum orationis cujuslibet illustratur splendor, quod vel uno exemplo facilé demonstrabo. Fac te dixisse: Tantam mansuetudinem, clementiam, modum, & sapientiã tacitus præterire non possum. Latinè, atque eleganter dixisti, sed audi Ciceronem, pro Marc. qui multo gravius, & sublimius hanc eandem periodum sic epitetis ornatam reddit: *Tantam enim mansuetudinem, tam inusitatatam, inauditamq; clementiam, tantum in summa potestate rerum omniũ modum, tam deniq; incredibilem sapientiam, ac penè divinam tacitus nullo modo præterire possum*, Horũ tamen usus moderatus esse debet.

3 Adverbia oportuné verbis addes, quod magnam orationi majestatem afferunt v. g. Ego te declamantem audiẽs admiratus sum. Adde adverbia, & multo melius hoc modo dices. Ego te apté, distinctè, & ornatè declamantem diligenter audiens mirumimmodũ admiratus sum.

4 Si aliquod nomen adjectivum insigne habueris, id cum adverbio Quidem elegantius postpones, ut M. Tullius orator singularis fuit: M. Tullius orator fuit, & quidem singularis.

5 Genitivus casus venustè præponitur, ut Gymnasij decus, & litterarum ornamentum.

6 Gerundium substantivum in adjectivū commutatur ornatius, ut, Veni gratia inuisendi matrem, Grammaticè dictum, sic latinè meliusque dices, Invisendæ matris gratia huc veni.

7 Quæ dignitate præstant præcedunt, ut, Dies, noctesq; homines, & mulieres, fratres, & sorores. Est & alius naturalis ordo, ut, Ortus, & occasus, flores, & fructus: alioquin Hysteronproteron, sive Hysterologia, ordine sententiæ commutato, efficeretur.

8 Dignitatis nomen proprio nomini elegantius anteponitur, ut, Hispaniarū rex Philippus: Insignis ille Philosophus Pythagoras.

9 Vocativus gaudet sibi aliquid præponi, ut, Etsi vereor, judices: Quo nam meo fato, P.C. Novum crimen, C.Cæsar: Quanquā te, Marce fili, &c. Hic notabis superiores nō proprio, sed dignitatis, aut observantiæ nomine appellandos fore, dicesq; subditus, discipulus, servus, filius: O rex, magister, dominē, pater, cum suis adjunctis: inferiores verò (& etiam æquales, cum blandiris) suis proprijs nominibus compellabis, ut, Heus Ioannes, Petre mi, &c.

Adje-

10 Adjectivum substantivo, cum venustate præponitur, ut Mirum ingenium, præstans singularisq; natura.

11 Interjicitur tamen nō illepidé aliquid inter adjectivum, & substantivum, ut, Mirum adolescentis ingeniū mihi ad æmulandū proponis: Suaves illius mores imitari percupio.

12 Superlativum substantivo elegantius postponitur, ut Honoribus amplissimis, & laboribus maximis ille perfunctus est.

13 Adjectivum polysyllabon canoram efficit orationem; si in fine collocetur, ut, Indigentia libido est inexplebilis: Nemo illorum mihi inimicus fuit voluntarius: Amicum invenire bonum, est perdificile.

14 Adjectivū venustè in substantivū vertitur, ut, Tantū cibi, & potionis adhibendū est, ut reficiantur vires, non opprimantur.

15 Præpositio inter adjectivum, & substātivū elegāter interjicitur, ut, Multis de causis: suos inter æquales: ornatissimo isto in loco.

16 Inter præpositionem, & suum casum lepide aliquid interponitur, ut, Ad unius Dei gloriam: propter ingenii acumen.

17 Relativum Qui, quæ, quod antecedenti venustè præponitur, ut, Quos ad me misisti pueros: Quam quisq; norit artem.

18 Infinitum finito præcedere gaudet, ut Mentiri nescio, adulari non est meum.

19 Brevium syllabarum, vel longarũ continuatio fugienda est: si breves longis permisceas, placidissimé decurret oratio.

20 Cavendum est denique ne decrescat oratio, id est, ne firmius infirmiori subjiciatur, ut, Verberibus opprobria, cruci verbera; sed vice versa, ita ut non permutetur ordo, sic: Indigentia, humilitate, laboribus, exilio, opprobrijs, verberibus, cruce, ac ipsa deniq; morte generis humani assertor immortalitatem nobis comparavit. Si vero junctura dictionum suavis ordinem non patiatur, nihil commutetur, sed aliquid omittatur.

*De junctura dictionum, ac de ejus vitijs.*
*Cap. XXXIX.*

M. QVid est junctura dictionum? D. Coagmentatio, & structura verborum, quâ dictiones inter se conjunguntur. M. Quæ vitia sunt in jungendis dictionibus vitanda? D. Novem: 1 Cacophaton, id est, sonus malus & obcænus intellectus, quod vitium ex junctura dictionum inconsiderata fluit, ut, Cæca caligine obruimur; Dum à vobis amer, dabo operam

operam, &c. in porticu Loreti: mare Lybicũ nusquam quietum est.

2 Creber vocalium, & consonantium concursus, ut, Advenio Acheronte via alta, atq; ardua: Nunc litteris remotis quantum possum, tantum proferam, &c. Si consonãtes vocalibus, aut vocales consonantibus adhæreãt, nullus hiatus, aut aspera junctura poterit aures offendere, ut Aen. 1.

*Tuus, ò regina, quid optes*
*Explorare labor, mihi jussa capessere fas est.*

3 S. cum S. ut, Quis scit. S. cum X. ut exercitus Xerxis. X. cum S. ut Conjux sophistæ. C. cum C. ut, Hoc cape lac coctum. R. cum R. ut Inter radios Solis.

4 Assiduitas ejusdem consonantis, ut,

*O Tite tute Tate tibi tanta tyranne tulisti.*
*Sosias in Solario soleas farciebat suas.*

5 Syllabæ dictionis præcedentis ultimæ, ne sint sequentis primæ, ut, *Luce lucebat aliena: Res mihi invisæ visæ sunt: ea pleniore ore laudamus,*

*O fortunatam natam me consule Romam.*

6 Monosyllabæ dictiones subsultantem reddunt orationem, ut, Hoc est jus, & lex, quã rex huic per se dat.

7 Item dissylabæ, ut, Natus procax jure quidem

quidẽ summo multas patri suo dabit pœnas.

8 Monosyllaba vox orationem, aut periodum non claudat, nisi alia præcesserit, aut verbum substantivum, aut enclitica conjunctio sit, ut, Eum privare vita vis? in vitium libertas excidit, atq; vim.

9 Binæ consonantes, aut una duplex, hinc inde concurrentes, summa diligentia vitetur, ut, Ars præstans, ingens stridor, Rex Xerxes, Stoicorum princeps Zeno.

M. Hæc omnia ferè vitia, quæ in junctura dictionum vitanda proponis, in Virgilij, & Ciceronis operibus interdum occurrunt, ergo non sunt reprehendenda. D. Quæ vitia in his autoribus videntur, sunt sæpe virtutes. v. g. Cic. in Tusc. 1. Polydori umbram ab inferis reversam, ut forma, sic oratione incultam, & horridam inducens ait: *Adsum, atq; advenio Acheronte vix via alta, atq; ardua:* quæ oratio vasta, & hians; consilio, & arte facta imperitis vitiosa videtur, ut ejusdem, & Maronis alia multa, quæ autoris industriam demonstrant, taciteq; commendant, & nos brevitatis amantes consulto præterimus, quod omnia apud Bartholomeum de Maranta I.C. Venusinum videri possunt. Fateor tamen Virgilij, & Ciceronis esse morem (ut artem magis dissi-

dissimulent) orationis incompositæ hiatu,& asperitato nonnunquam hebetiores aures, quasi jacentes, & perfecto, completoq; verborum ambitu, satiatas erigere,atq; oblectare, ut subacidi non nihil, inter cibos jucundiores, languentem stomachum excitare solet. At non ideo sunt adolescentibus ad imitandum, sed ad fugiendũ, in stylo præsertim numeroso, proponenda.

*De Stylo numeroso. Cap. XL.*

M. QVid est Stylus numerosus? D. Oratio numeris adstricta, quæ dulciter incipit, apte progreditur,& jucundè terminatur. M. Quotuplex est? D. Duplex, naturalis, & artificiosus. M. Quando efficitur Stylus naturalis? D. Quandò aurium dũtaxat judicio, sine arte, dictiones collocantur: cui observationes de compositione supra positæ mirificé prosunt. Teretes namque aures, omnia metiuntur, plena sentiunt, inconditis, & asperis verbis offenduntur; aptè compositis,& lenibus permulcentur; acribus, & aculeatis excitantur; omnibus bene constitutis assentiuntur; ac tandem redundantibus fastidiunt. Sed quia, nec omnium aures sonantiora metiuntur, nec numeros aucupantur, nec

inconditis clausulis offenduntur, artificiosi styli pedibus eas adjuvamus. M. Quid est stylus numerosus artificiosus? D. Oratio numeris ita composita, ut quasi jucunda musica, cócentus, & modulatio ita resonet, ut audientiū animos, non solū voluptate singulari demulceat, sed sine satietate delectet. Cujus duo sunt genera, unum adstrictius, & poëticum, (de quo in prosodia nostra) alterum multo liberius, & oratorium in oratione, quam solutam vocamus: non quod omni numero careat, sed quod soluta videri possit, si cum poëtica conferatur. Solus enim sermo vulgaris est omni numero destitutus, quod Cicero in oratore docet: *Neq; enim*, inquit, *effugere possemus reprehensionem, si semper iisdem pedibus uteremur: quia nec numerosa esse, ut poema, nec extra numerum, ut sermo vulgi est, debet oratio.*

### *De Pedibus.* *Cap. XLI.*

M. Quid est Pes? D. Pars numeri certo syllabarum numero, atq; ordine cóprehensa. M. Quod sunt pedes? D. Simplices, duodecim. M. Qui sunt? D. Quatuor disyllabi, & octo trisyllabi.

1 Pyrrichius constat ex duabus syllabis brevibus, ut, Deus, dedit.

Spon-

2 Spondæus, ex duabus longis, ut, Omnes, possunt.

3 Iambus, seu Daunius, ex brevi, & longa, ut, Rogas, viros.

4 Choræus, vel Trochæus, ex longa, & brevi, ut, Ipse, solus.

5 Tribrachys, ex tribus brevibus, ut, Dominus, timidus.

6 Molossus, Trimacer, vel Canius, ex tribus longis, ut, Oppressi, contendunt.

7 Dactylus, ex longa, & duabus brevibus, ut, Laudibus, efferor.

8 Anapestus, ex duabus brevibus, & longa, ut, Faciens, dominos.

9 Bachius, seu Oenotrius, ex brevi, & longis duabus, ut, Parati, legebant.

10 Palimbachius, ex duabus longis, & brevi, ut, Romanus, adversus.

11 Creticus, vel Amphimacer, ex longa, brevi, & longa, ut, Excitant, maximos.

12 Amphibrachys, ex brevi, longa, & brevi, ut Amicus, benignus.

M. Isti pedes poetici sunt. D. Et oratorij simul, ex quibus alij multi componuntur. M. Enumera frequentiores. D. Placet.

1 Proceleusmaticus, ex duob⁹ pyrrichijs, ut, Abjete.

Dispon-

2 Dispondæus, ex duobus Spondæis, ut Oratores.

3 Dijambus, ex duobus jambis, ut, Propinquitas. (micare.

4 Dichoræus, ex duobus Choræis, ut, Di-

5 Choriambus, ex Choræo, & Iambo, ut, Nobilitas.

6 Antipastus, ex Iambo, & Choræo, ut, Recusare.

7 Ionicus à minori, ex Pyrrichio, & Spondæo, ut, Lacedæmon.

8 Ionicus à maiori, ex Spondæo, & Pyrrichio, ut, Perpendimus.

Præter hos, quatuor sunt Pæones, vel Pæanes, qui ex tribus brevibus, & una longa constant: totidemq; Hyppij, seu Epitriti pæonibus contrarij, ex tribus longis, & una brevi, hac tamen lege, ut, primus pæon primam lõgam; primus Hyppius eandem brevẽ habeat: secundus, secundam: tertius, tertiam: quartus, quartam: quibus addimus Dochimum, vel Dochmium quinq; syllabarum pedem, & huic stylo numeroso maximè appositũ, quod longas brevibus temperatas, & interpositas habeat, qua varietate plurimũ delectat: constat enim ex Iambo, & cretico, ut Damna Reipublicæ perhorrescerent.

De

*De Pedibus aptis orationis principio, & medio.*
*Cap. XLII.*

M. Quae sunt nobis consideranda, ut pedes apte in oratione collocentur? D. Tria, initium, medium, & finis. Initium numero vacare non debet, quod aures vacuas ingreditur, quibus offendit quidquid male collocatur. Medium, quia negligentius auditur, minus diligenter pedum varietate distinguitur: Finis accuratam postulat diligentiā, nam ibi auditores conquiescunt, & exoptata numeri jucunditate recreantur. M. Qui pedes initio aptiores videri solent? D. Qui sequuntur ex uno Tullio de prompti.

1 Anapestus, & Spondaeus, ut pro Cluent. *Animadverti, judices.*

2 Spondaeus, & Anapestus, ut pro Mil. *Etsi vereor, judices.*

3 Dactilus, & Spondaeus, ut 3. de lege ag. *Commodius fecissent Tribuni plebis.*

4 Geminus dactilus, ut pro Mil. *Insidiator erat in foro.*

5 Bachius, & Choraeus, ut pro Marc. *Diuturni silentij P. C.*

6 Creticus, & Spondaeus, ut pro Archia. *Si quid est in me ingenij, judices.*

N Am-

7 Amphibrachys, & Iambus, ut Philip. 4. *Frequentia vestrum incredibilis.*

8 Dichoræus, ut, pro Sestio. *Si quis antea judices.*

9 Dispondæus, ut de Prov. Con. *Si quis vestrum P.C. expectat.*

10 Pæon primus, ut 4. in Ver. *Multa mihi necessaria, judices.*

11 Pæon quartus, ut 1. in Verrem. *Quod erat optandum,&c.*

M. Quomodo sunt media temperanda? D. *Primo ne medium, medio ne discrepet imum.* Medijs Periodi jucundissimi sunt Pæon primus, & quartus: Iambique sæpé repetiti, quibus magnam partem Ciceronis constat oratio. Si veró celeritate periodus indiget, Trochæi, Dactili, & Pæones deligantur; Si tarditate, Molossus, Dispondæus, & Hyppius in medio collocentur.

## *De Pedibus, qui aptè periodum claudunt.* *Cap. XLIII.*

M. QVi pedes aptè periodum claudunt? D. Multi, sed hi potissimum, quos ordine alphabetico tibi subjicio ex una Ciceronis oratione pro Milone, decerptos.

Amphy-

1 Amphibrachys, & Antibacchius, ut, *Videre posſitis.*

2 Amphibrachys, & Ionicus à minore, ut, *Habere potuiſſent.*

3 Amphibrachys, & Peon tertius, ut, *Libidines cohibuiſſe.*

4 Anapæſtus, & Dichoreus, ut, *Studijs cõprobavit.*

5 Antibacchius triplex, ut, *Me ad regiam penè confecit.*

6 Antibacchius, & pæon primus, ut, *Fortiter feciſſe peniteat.*

7 Bacchius iteratus, ut, *Sui poſteris prodiderunt.*

8 Creticus iteratus, ut, *Poſſet q; confringere.*

9 Creticus triplex, ut, *Facere periculoſè, quàm perpeti turpiter maluit.*

10 Creticus, & Dactilus, ut, *Vi vis illata defenditur.*

11 Creticus, & Dichoræus, ut, *Sillentium pollicentur.*

12 Creticus, & Diſpondæus, ut, *Cæteri lætarentur.*

13 Creticus, & ſpondæus, ut, *Poſteri latrocinarentur.*

14 Choræus, Chreticus, & Spondæus, ut, *Pro veſtra ſalute neglexi.*

15 Choræus, & Dispondæus, ut, *In monumentis majorum suorum fuit interfectus.*

16 Choræus, & Molossus, ut, *Multa fecerũt.*

17 Choræus, Spondæus, & Molossus, ut, *Et perditi describebant.*

18 Choriambus, & Dichoræus, ut, *Insidias collocaret.*

19 Dactilus, & Dichoræus, ut, *Gentibus imperare.*

20 Dactilus, & Mollossus, ut, *Interfectam esse fateretur.*

21 Dichoræus, ut, *Humeris sustineret.*

22 Dijambus, & Ionicus à maiore, ut, *Ad pugnam potissimum delegerat.*

23 Dochimus, ut, *Suspitiones perhorrescimus.*

24 Iambus, & Dispondæus, ut, *Per tales viros infringendam.*

25 Ionicus à minore, & Amphibrachys, ut, *Ora omnium, atq; oculos intuemur.*

26 Molossus, & Dactilus, ut, *Decertari pu-(tat.*

27 Molossus, & Creticus, ut, *Irasci certè nõ debeo.*

28 Molossus, & Amphibrachys, ut, *Cum Milonis impedimentis comparate.*

29 Peon primus, & Ionicus à minore, ut, *Lætitia peragravit.*

30 Pæon tertius, & Ionicus à majore, ut, *In Cælum videantur ascendere.*

31 Pæon tertius, & primus, ut, *Ego per eosdem retinere non potero?*

32 Pæon primus, & Spondæus, ut, *Omni sermone celebramur*, vel, *Fieri posse videatur.*

33 Proceleusmaticus, & Spondæus, ut, *Ad summum quatriduo periturum.*

34 Spondæus, & Creticus, ut, *Tam mansuetum civem desiderant.*

35 Spondæus, & Dactilus, ut, *Possum cognoscere.*

36 Spondæus, & Molossus, ut, *Illum interfecerunt.*

37 Tribrachys, & Pæon tertius, ut, *Facere potuissent.*

38 Throchæus, & Spondæus, ut, *Redire maluissent.*

Ex his octo, & triginta pedum mensuris suaviores videntur 8. 10. 11. 13. 15. 21. 23. 24. 32. 38. Præstantiores vero 13. 21. 23. 32. M. Est ne cura hæc in observandis numeris omnibus, & semper adhibẽda? D. Nequaquã, sed adolescentes, quidquid est artis studiosè exercentes, consequentur, quod in fidibus pulsandis accidere solet, ut rejecta brevi numerandi

 molestia,

molestia, quasi aliud agētes, periodos in quadrum redactas, numerosè, atq; jucundé cadētes componant. Hæc si fuerint moderatè observata, lætioribus nonnunquam numeris, orationem exhilarabūt; at contra, si putidius descutiantur, sermonis nitorem, artis infelicitate, non mediocriter corrumpent.

### *De Vitijs in stylo numeroso vitandis.* Cap. XLIIII.

M. QVæ vitia sunt in Stylo numeroso vitāda? D. Sex, inter alia, præcipua: 1. Ne verba per Hyperbaton (qui fit cum structura, sola decoris gratia, variatur) frequētet atque apertè trajiciantur, ità ut de industria videantur esse trajecta. 2. Ne inanes voces, quæ nihil omnino sensum jubant, ad numerū explendum, inferciantur. 3. Ne omnia eodē modo, ijsdemque pedibus terminentur; imo aures eorum varietate mulceantur. 4. Ne Dactilo, & Spondæo ambitus terminetur, ut Cic. pro Mil. *Omnes mihi ex illo redundant fon te dolores.* Si tamen hi duo pedes dictione una enuncientur, nihil orationi fæditatis afferēt, ut ibidem: *Hæc tanta virtus ex hac urbe expelletur, exterminabitur, ejicietur?* 5. Ne sesquipedalia

pedalia verba in clausula congregentur, ut *Constantinopolitani cum innumerabilibus hostibus fortissimè belligerabantur*. Et illud poëtæ nescio cujus.

*Gaudet honorificabilitudignitatibus Hermes.*

6. Ne deniq; pro gravibus, & illustribus verbis turgida, & inflata ponantur, ut Pers. sat. 1.

*Torva Mimalloneis implerunt cornua bōbis.*

*De Oratione illustri.* Cap. XLV.

M. QVæ sunt verba illustria? D. Quæ non vano litterarum strepitu, sed rerum gravitate delecta, translata, superlata, ad nomen adjuncta, duplicata, & idem ferè significantia efficiunt, ut non intelligamus tantum, sed ut videre videamur. M. Fac te velle hanc orationem dilucidam in illustrem convertere: Oborta subitò tempestas Cælum obscuravit, cum crebro tonitru, & fulmine, ita ut magnum mortis terrorem incuteret: quid facies? D. Seligam mihi verba gravia: hæc trāslatione, hyperbole, adjunctis, figuris, & cæteris concinnitatis præceptis variabo, ut Virg. Aeneid. 1.

*Eripiunt subito nubes, Cælumque, diemque*
*Teucrorū ex oculis: ponto nox incubat atra.*

*Intonuere poli: & crebris micat ignib⁹ æther,*
*Præsentemq; viris intentant omnia mortem.*

Hanc tu orationem sic æmulaveris: *Inhorrescit subitò mare: tenebræ conduplicantur: noctisque, & nimborum occecat nigror: flamma inter nubes coruscat: Cælum tonitru contremit: grando mixta imbri largifluo repentè præcipitans cadit: undiq; omnes venti erumpunt: sævi existunt turbines: fervet æstu pelagus, & perpetua mortis imago ante omnium oculos obversatur.* Fugienda tamen est oratio suffulta, quæ sic illustrem orationem imitatur, ut tumor bonam corporis habitudinem, & talis imperitis videtur, cum re vera gravioribus, quam res postulat, verbis turgeat, & inflata sit. M. Hæc, & omnia, quæ in tertio dialogo de Eloquutione dixisti, sunt in qualibet oratione observanda? D. Nullo modo: sed juxta dicendi genus.

*Singula quæq; locũ teneant sortita decenter.*

### *De Tribus dicendi generibus.*
### *Cap. XLVI.*

M. Quot sunt dicendi genera? D. Tria, unum tenue, subtile tamen, & acutũ, quod verbis infimis exprimitur, qualia sunt levia, humilia, exilia, & parva: alterum vehe-

mens, & grave, quod verbis summis explicatur, cujusmodi sunt gravia, sublimia, sonantia, & illustria: Tertium est medium, & cæteris interjectum, quod mixtis, temperatisque rebus effertur. Et hoc juxta totidem Oratoris officia, qui tenui docet, gravi movet, medio delectat. Res item parvas tenuiter, graves vehementer, medias temperatè tractat. Vnde colliges non solum dicendi genus, sed quamlibet uniuscujusq; orationis partē, ubi docetur, vel probatur, non esse amplificationibus, affectibus, & concinnitate illustrandā: sed omni ornatu insigni remoto, acutis, crebrisq; sententijs corroborandam. Vbi delectatur, omnia dicendi ornamenta, quæ suavitatis habent plurimū postulare. Vbi flectitur vim maximā, affectus omnes, verborū elegantiam, sententiarum dignitatem, vehementiā, gravitatem, copiam, tropos, figuras, numerū, & concinnitatem habituram: ea tamen lege, ut summum studium in ipso dicendi artificio occultando adhibeatur, & decorum observetur: ita ut oratio tum dicenti, tum audienti, tum rebus ipsis, quæ tractantur, & muneri, quo quisque fungitur, maximè conveniat, convenietque semper in omni dicendi genere perspicuitas, stylus cultus, proprietas, &

venuſtas: ſæpè vero plenitudo, ſuavitas, incitatio, puritas, acumen: oportunitas in exemplis, fides in teſtimonijs, delectus in adjunctis, urbanitas in luminibus, flumen in verbis, fulmen in affectibus, & pondus in ſententijs.

(?)

# DE ARTE RHETORICA.

## DIALOGVS QVARTVS de Memoria, & Pronuntiatione.

### *Quid sit memoria, & quotuplex, ac de naturali.*

*CAP. I.*

M. QVID est Memoria? D. Firma animi rerum, & verborum perceptio: insigne divinitatis argumentum: Musarum, & sapientiæ mater, quas ulnibus suis excipit, fovet, alit, fæcundat. Est fidelissima literarum custos: Eloquentiæ spiritus: sensus atq; intelligētiæ salus: pænuaria disciplinarum cella, consors cooperatrixq; rationis: thesaurus denique rerum omnium, quæ nisi custos inventis, exco-

excogitatisq; rebus, & verbis adhibeatur, intelligimus omnia, etiam si præclara fuerint, in oratore peritura. M. Quotuplex est? D. Duplex, Naturalis, & artificiosa. M. Quæ est naturalis? D. Quam unusquisque sortitus est à natura: ad cujus bonitatem in posteriore capitis parte (quæ occiput, vel occipitium vocatur) ubi sedes ejus est, mollitudo, & durities, humiditas, & siccitas bené temperatæ, ac sibi mutuò fœderatæ requiruntur. Quarũ temperationem, qui nactus fuerit, memoria erit incredibili, ac tenacissima, qualis in Seneca Cordubensi Rhetore fuisse dicitur, qui duo millia nominum semel audita, ducētavé carmina, quo erant ordine dicta, & retrogrado, statim referebat. Sed ætate jam affecta, ob mollitudinis, & humiditatis defectum, tantum thesaurum se amisisse conqueritur. Et certè mollitudo senibus, durities pueris abesse solet: unde utrique parum memores habentur, & similiter valde ingeniosi, & nimis hebetes, hi quia durissimo, illi quia mollissimo sunt cerebro: & in utroq; rerum, & verborum species, ut anulus in silice, vel in aqua, difficulter imprimuntur. M. Non solet evenire, ut unus, & idem tenaci memoria, & acuto ingenio sit? D. Solet interdum, cum

cere-

cerebrum ita affectum est, ut cogitatricis facultatis organum ad mollitudinẽ; memoriæ, ad duritiem magis inclinetur: in juvenibus præsertim, qui quod senibus aridis, & exhaustis temperata siccitate, infantibus pueris congruenti humiditate antecellunt, in memoriæ thesauro multa, & diversa facilius excipiunt, tenaciusq; conservant. M. Potest deesse memoria, ubi siccitatis, & humiditatis temperatio adest? D. Sæpissime, nihil enim æque, vel cura augetur, vel negligentia imminuitur, ac ipsa memoria: quæ nisi diligentiæ scalpello, resecatis impedimentis, excolatur, inertiæ situ corrumpitur.

*De rebus, quæ memoriam imminuunt.*
*Cap. II.*

M. QVæ impedimenta memoriam imminuunt, perturbant, & labefactant? D. Ebrietas, copiosus aquæ, aut vini potus, ventriculi cruditas, & gutturis ingurgitatio, facietas omnis, victusvé tenuitas, & fames, fructus virides, olera, & legumina, præcipuè allium, cæpe, porrum, & raphanus, Caseus, lac, & quæ in stomacho diu hærent, ut carnes pingues, aut sale conditæ, cibi omnes

crasso-

crassiores,&flatum generantes,pisces fluviales & anguillæ: somnus matutinus,& à pprandio prolixus: immoderati animi affectus,ut mæstitia,ira,metus, curæ, solicitudines: veneris usus, clamores magni, venti solito sæviores ab Aquilone, & Meridie flantes, frigus maximum, diuturnus corporis motus, cessatio ab studio libera,& otiosa, vehemens, & continua infixa mentis intentio, nimia legendi, aut scribendi assiduitas, capite præsertim valde inclinato, tumultuaria, & confusa lectio, specierũ multitudo, rerumq; colluvies. Adventus etiam eorum, vel præsentia, quos revereri, aut metuere debemus ita memoriã obruit, ut puerili rerum omnium oblivione orator subitò conticescat. Quare Demosthenes apud Philippum, Ephesius in concione Areopagi, Herodes Aticus apud Marcum Antonium, Heraclides Licius corã Severo principe, & alij in ipso statim orationis exordio excidisse memorantur. Adde his Soli, Cæliq; naturam, syderum influxus, varia morborũ, & casuum genera, quibus etc bró nũc ex parte, nunc ex toto, sæpe ad tempus, nonnunquã in perpetuum memoria læditur. Nam Thraces, ob Cæli, aërisq; intemperiem, tam obtuso sunt ingenio, tamq in fœcunda memoria,

ut

ut quaternarium numerando transcendere nequeant, *Ictus lapide*, inquit Plinius, *oblitus litterarum est: è tecto lapsus matris, & affiniũ, propinquorumq; : alius ægrotus servorum, etiã sui vero nominis Messalla Corvinus.* Multi, ut refert Thucidides, lethargo, & pestilentia correpti, omnium, quæ antea noverant, ita obliti sunt, ut ne se ipsos quidem recordarẽtur. Sed qui vulnera infligit, facit & medicinam: his enim impedimentis sua contraria, & remedia multa opponuntur, quæ brevi referam, dummodo

*Sensibus hæc imis (res est non parva) reponas.*

## *Exercitatio memoriæ remediũ eidem maximũ.* Cap. III.

D. MEmoria florere cuilibet integrũ est, si prospera utitur valetudine: nam quanto quis frequentius ediscit, ac meditatur, tanto majorem acquirit memoriam. Vnde Quintilianus ait: *Si quis unam, maximamq; à me artem memoriæ quærat, exercitatio est, & labor: multa ediscere, multa cogitare, et si fieri potest quotidie, potentissimum est.* Aristoteles à meditatione, mentisq; agitatione, memoriã, & conservari, & augeri tradit. Crassus apud Cice-

Ciceronem exercendam esse memoriam edis-cendis ad verbum, quam plurimis, & nostris scriptis, & alienis, docet. Pythagorici memoriæ confirmandæ gratia vesperi, priusquam cubitum irent, commemorabant quid quoq; die dixerant, audiverant, egerant. Tu igitur memoriā his, & sequentibus egregiè juvabis.

*Temporis distributio studentibus valde utilis ad memoriam conservandam, & augendam.* Cap. IIII.

D. PRimo diluculo expergefactus leviter caput ungibus, linguam sindone perfricabis: statim è lecto surges, alvum, & vesicam exonerabis, linteolo nares emunges, tussi pectus dilatabis: faciē, & fauces ablues, & oblues: deinde, ut Christianum decet, orationi vacabis: post, pauculas passas granulis vacuas, & per noctem unam, in ardenti aqua madefactas in jentaculum sumes, eandemq; aquam bibes, si infrigida regione versaris; si secus, eam minimè gustabis: ad extremū eisdem, quibus scripseris chartis, & per partes nō exiguas, ordine, ratione, & methodo scripta, non tacitè, neq; elatè, sed summissa voce, non sedendo, sed ambulando per horam, & ad

ad verbum, memoriæ mandabis: in cubiculo tamen clauſo, non in loco aperto, & proſpectibus pervio, ne variarum rerũ objecta animi attẽtionem diſtrahant: nam remiſsio apprehenſionis facit, ut multa non percipiantur, & ut jam percepta omnino è memoria excidant. Hora plus minus tranſacta, mentis intentionem remittes, caput eburneo pectine moderatè pectes, panno linteo, & aſpero cervices, & occiput perfricabis, Si ſtudia domi recolis, ad meridiẽ uſq; alienis rebus ediſcendis, aut proprijs excogitandis, veſpere legendis autoribus, vacabis: ſingulis tamen horis intermiſsione facta. Si magiſtros audiendos ſcholas adis, ibi lectiones animo diligentius quam charta excipies, *Ne ſi charta cadat ſecum ſapientia vadat.*

*Eadem temporis diſtributio à prandio.*

*Cap. V.*

A Prandio ſi alij ſtudent, tu tamen *Anxiferas curas requiete relaxa*: & juvenis poſt duas horas, vir poſt tres, ſenex poſt quatuor, te ad tuũ munus: pẽſumq; revocabis, Primis tenebris in cubiculum abditus, reliquas animi curas inter ſe ſtrepentes penitus excludes, ne his, aut rebus externis diſtraharis, & ibi, quæ manè memoriæ mandaſti,

repetes, & alia cupidisſimé perſequeris, ut nocte interpoſita, ipſa memoria plurimum firmitatis habeat: nam ſi memorandi actus non inſtaurantur, rerum, & verborum ſpecies abolentur; ſi verò repetuntur, nitorem ſuum prorſus recuperant. Poſt, cœna refectus levi, unius horę laxamētū capies quo finito ediſcenda manè bis, aut ter ita leges, ut plané intelligas: nam ægrè memoria comprehenditur, quod non ad unguem intelligitur; & facilius decem carmina Hiſpana, quam duo Virgiliana Noſtras ediſcet latini ſermonis prorſus ignarus: & Pythagoricos imitatus

*Non prius in dulcem declines lumina ſomnũ,*
*Omnia, quam longi reputaveris acta diei.*

Et tibi jam conniventi, corpore non in dorſum, ſed in latus dextrũ exporrecto optatus veniat *Somnus, qui faciat breves tenebras.*

*Remedium ſingulare ad reparandam, & augendam memoriam.* Cap. VI.

D. SI omnibus dictis continuatio immutabilis acceſſerit, non eſt amplius, ad memoriam confirmandam, inquirendum. M. Quid ſi nihil horum alicui emolumento eſt? D. Illi magnopere autor ero, ut per medicamenta memoriæ comparandæ remediũ quæ-

rat: nam ſiccitatis, vel humiditatis, mollitudinis, vel duritiei exuperantia labefactatur. M. Poteſt ne cognoſci, quando hic, aut ille humor excedit? D. Facilè: Si quem vigiliæ infeſtant, aut melancholia, & ejus excrementa ſunt arida, intemperie ſicca laborat: cui proderunt mali medici cortices melle conditæ, cum ardenti aqua, in jentacula ſumptæ: ova recentia, & ſorbilia: butyrum, amigdala, caſtaneæ mollius toſtæ, atq; avellanæ. Si nullus exceſſus in ſomno, in vigilia, in excrementis fuerit, frigida tantum intemperie, ſine materia, memoria labefactatur. Si verò quis ad ſomnum longiorem, & profundiorem nimis propenſus eſt, & excrementa per os, & nares copioſa ſunt, ejus memoria cerebri humiditate pervertitur: quod plerumque in juvenibus, & viris ætate perfecta, non affecta, ſolet accidere. Quare hi medicum ſibi adhibeant, qui curationibus memoriæ tempeſtivè opituletur, eumque conſulant, an ſubſequenti remedio ſubveniendam putet: cujus vim admirabilem Doctor Chriſtophorus à Vega, medicus regius pluſquam ducenties in varijs memoria laborantibus expertum ſe fuiſſe teſtatur lib. 3. de arte medendi cap. 10. *Recipe menthæ ſiccæ, pulegij, eufraſiæ, verbenæ, ſeminis*

*coriandri præparati, calitrici, singulorum dragmam unam: floris roris marini dragmam unam, & semissem: calami aromatici, & cinnamomi utriusq; dragmas duas: caryophilorum dragmã unam, & semissem: moschi, & galiæ utriusq; grana sex: mellis anacardini; & styracis calamitæ utriusq; dragmam dimidiam: ex his quæ trituratioaem patiuntur in pulverem tenuissimum redigantur, & omnia cum aqua instilatitia fœniculi in pastillos conformentur, ex quibus pessuli fient ad formam nuclei palmulæ, cum opus fuerit.* Qui hoc medicamine uti voluerit, hunc ordinem servabit. Purgato prius corpore, quinquaginta noctibus nihil aliud præter passulas cum amigdalis paucis, & pauco pano cœnabit: prandium autem erit caro assa, quam medicus iusserit; potus vinum album unius anni modicè dilutum. Singulis autem noctibus, prope horã somni, pessulũ nari sinistræ inseret, & narem coto obturabit, ac sic servabit. Non ultra quam decem carmina memoriæ mandabit: ijs elapsis diebus, pessulum unum recens confectum nari sinistræ inserat, & coto ipsam obturet: deinde legat attenté, quæ voluerit ediscere, per integram horam, aut etiam duas: post, secluso pessulo, dormiat, & manè singula, quæ legit, memoria tenebit,

nebit, ita ut eius tenacitate neminem sibi parem inveniat.

*De aliis Remediis ad memoriam confirmandam.*
*Cap. VII.*

SI dicti huius medicaminis effectus promisso respondet, quivis labor, & sumptus in eo adhibendo bene collocabitur. Sed age nõ audisti alia? D. Multa ex te audivi, & apud medicos legi huic similia: timeo tamen ne illis inconsultis applicentur. Addã tamen nõnulla faciliora. 1. Moschi odor immortalem reddit memoriam. 2. Gingiber conditum modico thure permixtum memoriæ magnopere prodest. 3. Odor thuris, amaraci, marathri, nucis muscatæ, rutæ, caryophilorum memoriæ tantum affert utilitatis, quãtum haud scio an res ulla. 4. Quarto quoq; die in hyeme, atq; autumno, semel autem singulis hebdomadis, in æstate, atq; vere dimidia theriacę dragma à jejuno, summo manè, cum pauculo mero claro, & suavi sumpta, nulli est unquam remedio postponenda. Qui plura voluerit consulat Rondoletum, Nicolaum Florentinum, Marsilium Ficinum, Petrum Forestum Aicmarianum, & Guillielmum Gratarolum,

qui de memoria reparanda justum librũ medicamentis refertum scripsit. Quorum beneficio adjutus Alphonsus Tostatus Episcopus Abulensis, tanta viguit memoria, ut quos legisset libros, mox nullo labore integros recitaret. Nostra etiam ætate multi nemine antiquorum inferiores extiterunt, qui innumerabilia penè vocabula ( ad triginta sex millia nominum) Græca, Latina, barbara, ficta, nullo nexu cohærentia, semel audita, sine ulla hæsitatione, recitabant. Quanvis hoc naturæ miraculum artificiosæ memoriç præceptis nonnulli acceptum referunt.

## *De Artificiosa memoria. Cap. VIII.*

M. QVid est artificiosa memoria? D. Vis reminiscendi artificio ingenioso cõparata, quo rerum, & verborum simulachra facilius memoriæ commendantur, tenacius retinentur, & virtuti contemplativæ citius offeruntur, & hæc est quarta Rhetoricæ pars. M. Quibus adminiculis cõstat? D. Quatuor, locis, imaginibus, ordine, atque praxi: ita ut locis pro chartis, imaginibus pro litteris, ordine pro scriptura, praxi pro lectione, utanur.

nur. M. Non ne hæc adminicula homini memoria vacillanti majus impedimentum, quã adjumentum importabunt? D. Credo equidem: ut seni baculus, avi plumæ, plaustro rotæ, navi saburra, & armamenta cætera, sic locus, imago, & ordo hebeti memoriæ impedimento sunt.

*De Memoria artificiosæ locis.*
*Cap. IX.*

M. QVid est locus? D. Sedes imaginum. M. Quotuplex est? D. Triplex, fictus, ut ædes, villæ, oppida mente duntaxat comprehensa: naturalis, ut antrum, vallis, flumen, aër, cælum, Planetæ: artificialis, ut domus, tẽplum, civitas arte ædificata. Ex his primus est bonus, secundus melior, tertius optimus. M. Quæ sunt in his locis necessaria? D. Vt ab urbano strepitu, non ab urbe, sint remoti, nõ semel à nobis, sed sæpè visi, revisi, noti, & manibus contrectati, immutabiles, bene distincti, parum distantes, dissimiles forma, in omnibus mediocres, id est, nec lucidi, nec obscuri, nec ampli, nec angusti, nec alti, nec depressi nimis, ut sit quædam imaginum proportio ad locum: & quasi lumen aliquod, extinctis cæteris, imago magis eluceat.

*De Imaginibus. Cap. X.*

M. QVid est imago? D. Forma quadā, nota, vel simulachrum rei, cuius volumus recordari. M. Quotuplex est? D. Triplex viva sive propria, picta, sive translata, incognita, & sine figura: quarum primæ rerum, ac verborum memoriæ maximè serviunt. Propriæ, ut Petrus pro Petro, imperator pro imperatore, pontifex pro pontifice. Translatæ, ut pro forti leo, pro superbo equus, pro pigro asinus, pro prudenti formica, pro mordace canis, pro vorace lupus, pro timido lepus, pro duro lapis, pro divitijs, femina dives. M. Quales sunt nobis hæ imagines fingendæ? D. Rebus, & verbis valde similes, quales natura ipsa effinxit, vel Aegyptij veteres invenerunt, ut Pierius in suis Hieroglificis, & Riciardus in suis Symbolicis explicarunt: in quibus memoriæ artificiosæ studiosum valde versatum vellem. Sint igitur cognitarum rerum imagines egregiè pulchræ, vel nimis deformes, vel admodum ridiculæ: magnæ, dissimiles, viventes, & insolitæ: nam usitatæ facilè è memoria labuntur; insignes tamen, & novę diutius in animo hærent. Sint præterea non vagæ, non mutæ, non ociosæ, imo aliquid agentes:

tes: equus terrã ungula quatiat, lupus agnos devoret, cuniculus cuniculos agat, faber ferrarius ë fornace ferrũ educat; epiſcopus ſacramenta miniſtret: ac deniq; actiones ſibi proprias quælibet imago exerceat. M. Si res fuerit immobilis, ut Saxũ? D. Id lapicida vecte moveat, vel ferramẽtis expoliat. M. Si animata, minima tamen, ut formicæ, apes, muſcæ? D. Formicæ arborem aſcendentes, & deſcendentes fingantur: apes, & muſcæ ad favos inhærentes; adhibeatur vero perſona viva, quæ flabello eas abigat.

## *De varijs modis figuræ inveniendæ.* *Cap. XI.*

SI nobis imagines vivæ defuerint? D. Pictis utemur. M. Si nec vivas nec pictas habuerimus? D. Ex ipſo rei nomine imagines eliciemus, ut, Si velim meminiſſe de Quambacudono Iaponiorum imperatore, quẽ neq; vivum novi, neq; pictum vidi: fingã Bachum imperatoria veſte inſignitũ, & me ipſum cũ aurea corona Quã Bacho dono. Si de hac voce SVSPIRAMVS, fingam PIRA, quæ hinc SVS, inde MVS comedunt, ſic de cæteris.

M. Si

M. Si Syllabis nominis excusis, nulla potest imago elici? D. Recurremus ad Metonymiæ modos, & collocabimus inventorem pro re inventa, ut, Bachum pro vino, Venerem pro libidine: autorem pro eius operibus, ut, Ciceronem, vel D. Thomam cũ libro: causam pro effectu, ut, Tubam pro sonitu, florem pro odore: continentem pro re contenta, ut crumenam pro pecunia: possessorem pro re possessa, ut, D. Franciscum, pro eius conventu: effectus pro causa, ut anum incurvo corpore tremulam, canis oppletam, rugis deformatam, pro senectute: juvenem lætum, & robustum pro juventute: pratum floribus varijs distinctum, vel eorum fasciculum, pro primo vere: signũ pro re signata, ut, tympanum pro bello, fasces pro consule, &c. M. Si adhuc nulla existit imago? D. Vtemur figuris, quæ per adjectionem, vel detractionem efficiuntur, ut per Prothesim pro una lena, luna plena: pro lumẽ, volumẽ: per Epenthesim, pro pius, pinus, pro salus saltus: per Paragogem, pro noctu, noctua, pro mens, mensa: per Apheresim: pro cursus, ursus, pro acerbus, cervus: per Syncopem, pro Ravena, rana, pro causa, casa, pro porticus, porcus, per Apocopem, pro thusis, thus, pro musa, mus. Transmutatione item utemur, ut

quia

quia ex hac voce CAIRVS nulla imago existit,constitue I. ante C. & existet ICARVS. Primis etiam litteris, vel syllabis nominum opus erit aliquando,ut in hac voce THEA, pro Laconiæ urbe, sume tibi primas litteras Charitum Thaliæ,Euphrosinæ,& Aglaiæ: in hac MOCARSVS,pro Traciæ regione,sume item primas syllabas Monaci Cardinalis suspensi: pro hac MIGARA,Michaël, Gabriel, Raphaël,& eos aliquid simul agentes ordine constitue. Quem ordinem in collocandis imaginibus diligentissimè servabis, quòd pené solus artificiosæ memoriæ magister, & effector est.

## *De ordine ad quem demonstrandum, ædes finguntur. Cap. XII.*

M. QVid est ordo? D.Compositio imaginum distincta in locis aptis,ita ordinaté accommodatis,ut sive recto, sive intercalari,sive retrogrado ordine progrediendũ, aut regrediendum sit, nunquam aberremus. M.Quomodo locos ordinatè accommodabimus? D.Nullo fere negotio id ostendam: in loco tamen ficto,quo,quanvis sit vanus,periculosus,& anxius, si cum cæteris conferatur, nunc

nunc tanquam artificiali utar, ut certa præcepta omnibus communia de locorum ordine tradam. Fingamus igitur animo ædes magnificas, quarum valvæ inter quatuor marmoreas columnas pandantur, & his totidem minores impositæ sint, quibus statua lapidea, in virginalem figuram pulcherrimam, habitumq; formata, suffulta conspiciatur. A valvis in vestibulum, à vestibulo in peristylum detur ingressus: peristyli quælibet pars quarta quinq; habeat conclavia inferiora, ita ut viginti numerentur: super quibus, ad cuiusq; placitum, alia, & alia eodem ordine percipi cogitatione poterunt. Conclavibus singulis binæ sint januæ, una ingressui, altera egressui servientes, ita ut prima peristyli pars læva, unam tantùm januam extrinsecus habeat; cæteræ ab uno in aliud conclave continuentur.

(?)

*De*

*De notis, quibus Ianuæ atq; conclavia distingui debent. Cap. XIII.*

NOtis, vel numeris, januæ distinguantur, ut quotum sit conclave 1. 2. 3. 4. aut 5. facilè dignoscatur, & in quinto manum unam extensam collocabimus, in decimo duas prensas, vel denarium, vel crucem. M. Quid utilitatis manus istæ, & notæ præ se ferunt? D. Vt in quinto quoq; conclavi memoria conquiescat: ne magno locorum numero perturbata confundatur. M. Conclavium notæ, quæ solent esse? D. Multiplices, ut pote voluntariæ: alij enim hominis in frusta discerpti partibus loca distingunt, & caput supra primam unius lateris januam constituunt, humeros cum brachijs supra secundam, truncum totius corporis supra tertiam, fœmur utrumq; supra quartam, crura cum pedibus supra quintam. Alij notis Romanis I. II. III. IIII. V. VI. VII. VIII. IX. X. &c. Alij notis Arithmeticis 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 20. &c. Alij notant primam januam hasta, secundam furca bidente, tertiam Tridente, quartam craticula, quintam manu, sextam stella

fe-

ſex radios emittente, ſeptimam gnomone fa brorum, octauam perſpicillijs, nonam cornu reflexo, decimam haſta cum anulo, vigeſimā bidente cum anulo, &c. Alij Sanctorum imaginibus, alij coloribus, alij feneſtrarum numero: Alij alijs, quas quiſq; pro arbitratu fingit. M. Ex his, quæ tibi notæ meliores videntur? D. Quæ cuiq; magis facilem, & expeditā diſtinctionem præſtiterint: nunc tamen mihi eligo feneſtrarum numerum, & in primo con clavi unam feneſtram, in ſecundo duas, in ter tio tres, in quarto quatuor, in quinto quinq; facio. Prætereà ſingula conclavia ſingulorum periſtyli laterum quaternos habeant parietes, & in ſingulis, quinq; ſint quadra, ſive tabulæ, aut plures, velis obtectæ, ubi aliquas fingamus imagines, quæ ſpectandæ ſuo tempore ſenſibus proponantur. Prima tabula ſit ad ianuæ lævam, ſecunda in ſecundo parietis angulo, tertia in tertio, quarta in quarto, quin ta in medio ultimi parietis: á quo ordine retrogrado ſemper eſt ad primam redeundum. Perſonæ verò vivæ non in angulis, ſed in medio parietū eodem ordine inducantur, quinq; vel ſex pedibus diſtantes: & ad eas priuſquā ad tabulas recurſus fiat, repetendo præcedētes, antequam ſubſequentes collocemus, ut

quan

quando ad conclavis finem veniamus, omnium meminisse posſimus.

*Exemplo, quæ præcepimus magis explicantur.*
*Cap. XIIII.*

M. MVltis hæc obſcuriora videbuntur, ſi abſq; ulla exemplorum appoſitione referantur. Subjice obſecro unum, aut alterũ exemplũ quo res dilucidior exiſtat. D. Subjiciam libenter: qua de re vis meminiſſe? & illam figuris expreſſam ita apperte demonſtrabo, ut manibus contrectari videatur. M. Rhetoricam in promptu tenere cupio? D. Interroga igitur per partes, quæ volueris. M. Fac me velle meminiſſe, Quid ſit Rhetorica, quibus rebus comparetur, quid ſit oratoris officium, finis, materia, & inſtrumenta, quid ſit Theſis, quid Hypotheſis, quot earum genera, cum omnibus ad ea pertinentibus. D. Hærent né tibi in animo, quas fingimus ædes? M. Hærent omnino. D. Incipiamus ergo ab earum propyllæo, & in baſi ſtatuæ, quam ſuper columnellas poſſuimus, hanc inſcriptionem litteris aureis inſculpamus BENE DICENDI DOCTRINA in ſingulis quatuor columnellis ordine recto ab ſtatuæ dextra ad

finiſ-

finistram unam ex his inscriptionibus collocemus NATVRA. ARTE. IMITAT. EXERCIT. in singulis etiam quatuor columnarum maiorum epistylis eodē ordine hos titulos inscribamus. OFFICIVM. FINIS. MATERIA. INSTRVMENTA. & in earundem prima basi sub titulo primo: DIC. AD PERSVA. VT DO. MO. DE. in secunda sub secundo: PERSVA. DICTIONE. in tertia sub tertio OMNIA. in quarta sub quarto I. D. E. M. PRONVNC. Ingrediamur deinde vestibulum, in cujus lævo pariete, animo, ac mente hominem tussientem concipiamus, qui raptus in quæstionem generatim quæritur, an in se quid mali admiserit. In secundo vestibuli pariete, alterum hominem Hyppo, & tussi affectum in quæstionem item actum, qui á quibusdam personis interrogatur singillatim, an sit insidiator. In tertio pariete virum indice demonstrando quò ingressuri sumus, & fæminam quasi deliberando cogitabundam, & personatum quendam cum iudicis insignibus. Hinc primum conclave tapetibus, & peristromatis, exornatum introeamus, & á læva post januam Sacerdotem flexis genibus gratias post, sacrum, agentem consideremus: statim duos viros atratos defuncti

juncti cujusdam laudes narrantes: post, nuptã de viri sui virtutibus cum alia fœmina colloquentem, ac deniq; ante angulum septẽ scholasticos juvenes varia inter se conferentes, tãquam omnis litteraturæ studio flagrantes. In secundo pariete, quasi in choro, cõstituamus pueros, juvenes, viros, & senes laudes cantantes Christo Dño, quem in adverso pariete ab inferis cum gloria, & triumpho resurgentem in ara faciamus: & ad eam B. Augustinũ missæ sacrificium pro Bona urbe sua offerentem, & enixè postulantem, ut fortunæ, corporis, & animi bonis ejus cives perfruantur. Circum Christi resurgẽtis effigiem, instar pegmatis, septẽ virtutes Cardinales, & Theologales, cũ suis insignibus, á læva descendentes Iustitiã, Fortitudinem, & Temperantiam: in dextram ascendentes Fidem, Spem, Charitatem & inter hanc & Iustitiam, velut in capite, Prudentiam comprehendamus. Quarum singulis distichon subscribendum est, & ara multis ac ẽsis luminibus illustrãda, ut omnia magis perspicua sint. Ex hoc veluti sacello in secundum conciave gradum faciamus. M. Imo, si placet, consiste paulisper: quæ enim exempli causa subjecisti prudenti sufficiũt, ut ipse industria sua meliora sibi comparet.

*Ad Praxim dicta reducuntur, ac declarantur.*
*Cap. XV.*

M. NVnc, quæ in locorum chartis, imaginum litteris scripsisti, ad praxim reducendo per lege. D. Audi, Video popyliæi statuam, & illico mihi succurrit Rhethorica est, lego inscriptionem BENE DICENDI DOCTRINA, & quia continetur quatuor columnetis, intelligo, ex illarum inscriptionibus, NATVRA, ARTE, IMITATIONE, ET EXERCITATIONE cōtineri. Ejus officium est ex primæ columnę inscriptione, & subscriptione, DICERE AD PERSVADENDVM, VT DOCEAT, MOVEAT, DELECTET. FINIS, ex secunda, PERSVADERE DICTIONE MATERIA, ex tertia, OMNIA, quæ verbis exornari possunt, INSTRVMENTA, ex quarta, INVENTIO, DISPOSITIO, ELOQVVTIO, MEMORIA, ET PRONVNCIATIO. Homo cum tussi in quæstionē raptus, Thesim esse quæstionem, qua generatim quæritur: altus cum Hyppo tussique Hyppothesim esse quæstionem, qua syngillatim quæritur, adhibitis personis, fideliter me docent: quarum genera tria Demonstrativum vir indice demonstrando, Deliberativum fæmina deliberando, Iudiciale

diciale personatus, cum judicis in signibus, in memoriam mihi revocant. Ingredientem verò conclave, quod vir indice demonstrat, parietum exornatio admonet, Genus demóstrativum esse exornationem orationis, in qua laudes continentur. Quatuor primæ imagines in lævo pariete collocatæ, gratiarum actiones, funebres, & nuptiales orationes, artes, & historias huc referri ostendunt. In choro multiplici voce cantantes, multiplicem esse laudationem indicant. B. Augustinus vir sanctissimus, optimarum artium studijs deditus, & pro Bona urbe sacrificium offerens personas in primis, artes, & urbes laudandas esse declarat, & personas quidem à fortunæ, corporis, & animi bonis: triumphatores præsertim, & homines de hominibus bene merétes, quorum Christus Iesus familiam ducit. Virtutes autem, quæ Christi effigiem circumeunt, ad exornandos viros præclaros, uberrimam quidem materiam subjiciunt. Video enim, visa Prudentiæ imagine, ad eam pertinere memoriam præteritorum, intelligentiā præsentium, providentiam futurorum, artes liberales, inventa, dicta, & facta prudenter; quod tu de cæteris potes intelligere. Candelarum verò lumina, quæ aram, & imagines il-

lustrant, Rhetoricæ luminibus genus hoc illustrandum esse commonefaciunt.

*Rerum multarum capita carminibus comprehẽsa facilè in memoriam revocantur.*
*Cap. XVI.*

M. QVid est quod tibi tam cito pręcipuos virtutũ actus offert? D. Disthicó per ociũ compositũ,& singulis á me subscriptum. M. Vis illa referre? D. Volo: subscripsi hoc

PRVDENTIAE.

*Præteritũ hæc meminit: præsens videt; atq; futu(rũ*
*Providet; unde artes callet, & historias.*

IVSTITIAE.

*Numinis, & patriæ colit hæc, legesq; parentum,*
*Lenis, & æqua bonis; fortis, & æqua malis.*

FORTITVDINI.

*Magnanima in cũctisq; potens, industria, velox,*
*Se vincens peragit quidquid inermis obit.*

TEMPERANTIAE.

*Continet hæc motus generat quos dira libido,*
*Vrbana, & clemens, parca, modesta, gravis,*

FIDEI.

*Hæsitat hæc nunquam ductu deducta Tonantis*
*Cæca est, at melius condita lynce videt.*

SPEI.

*Rebus in humanis jubet hæc sperare supernas,*

*Magnaq; parua facit, paruaq; nulla facit.*

CHARITATI.

*Ardet amore Dei: servat sacra dogmata gratis,*
*Pro queis hæc lætos nos decet ultro mori.*

M. Laudo tuam istam diligentiam: carmina enim mirum immodum memoria adjuvant. Excogitasti ne alios versus ad fortunæ corporis, & animi bona melius retinenda? D. Excogitavi hos, & finxi eos in libro missali minio exaratos, ubi D. Augustinus Bonæ petebat bona.

BONA FORTVNAE.

*Natio, gens, patria, & patres, natale, magistri,*
*Copia divitiæ, munus, amicus, honos.*

BONA CORPORIS.

*Forma, salus, vires, pes, sensus, lingua, manusque*
*Vox nitida, atq; gravis, dulcis in ore lepos.*

BONA ANIMI.

*Spes, pudor, & studiũ acre, memor cujusq; facultas,*
*Virtutes, morum candor, & ingenium.*

M. Qui mansuetiores musas non colit, & verfuum cæp'ere numeros prorsus ignorat, quid faciet, ut minuta recordetur? D. Versus claudicantes, incerto aurium judicio, vel Latina, vel vulgari lingua sibi canat: vel alio, quo maluerit, modo, dum ea ordinaté ponat, & frequenter meditetur. Poterit etiam per sui cor-

poris partes sigillatim ea unicuiq; servanda distribuere, & à singulis singula crebrò exigere. Sint tamen initio pauca, quoad promptior usu, & exercitatione fiat: ut pueri elemētarij, qui in parva tabella viginti quatuor litteras pedetentim edifcūt, librorum heluones, cum adoleverint, mox futuri.

*An verborum contextus hac memoria comprehendi possit. Cap. XVII.*

M. DE rerum memoria, deq; solutis verbis, satis superq; habemus: explica nunc quomodo verborum contextus hac eadem arte comprehendatur. D. Id equidem vellem facilé tradi posset: nam talis contextus multis, aut nimis difficilis, aut parum utilis videtur. Scio tamen plerosque Græcos, qui de hac memoria scripserunt, ut Simonides Chius, hujus artis inventor, Carneades, Sceptius, & Metrodorus multorum verborum imagines fingi præcepisse ab eis, qui vellent, verba perdiscere. Sed quid proderunt mille verborum imagines, cum ex infinita eorum copia modo unum, modo aliud nos meminisse oportebit? Fac vero esse profuturas, impedient certé orationis decursum, & verba copulat

pulata minimè fluent, cum à singulis verbis ad singulas imagines recurrendum sit. M. Et sine his imaginibus, alio modo, non poterit quilibet magnam verborum copiam sibi ad loquendum, concionandum, & facile scribendum acquirere? D. Poterit ille quidem, qui R.P.M. Augustini Nuñez Delgadillo Carmelitæ ingeniosam nominum centuriam cum paucis verbis intellexerit, memoriæ ritè mãdaverit, ac se se in ejus praxi frequenter exercuerit. qui ex centum tantum nominibus, vigintique verbis, propositionum, ac proprietatũ ducenta millia facili negotio elicit; quibus doceat veritatem, probet virtutes, exprobrer vitia, pronroveat argumenta, & Christianam perfectioné omnibus persuadeat, cujus tabellam hic apponerem, nisi esset quærenti bus ubique pervia. M. Quid igitur faciemus, ut artificiosa memoria concionem, aut orationem facilé complectamur? D. Dicam.

## *Quomodo concio, aut oratio memoria artificiosa facile percipi possit. Cap. XVIII.*

Concio (sicut oratio) quæ prius debet esse facta, elaborata, prævisa, & non semel aut iterũ, sed tertiò, ac sæpius lecta, & medi-

tata, in tres, aut quatuor partes primarias dividatur: quarum quælibet in octo alias partes subdistingui poterit: & in singulis parietibus conclavis, aut templi (ubi habenda est concio) quadrata novem constituantur: & in primo primi parietis quadrato, prima concionis pars præcipua collocetur: in primo secundi parietis secunda: in primo tertij tertia: & in primo quarti quarta: in cæteris octonis quadratis aliæ octo partes ad primariam pertinentes ordine subsequantur: ita ut quælibet concio in triginta sex partes divisa sit. Quarum admonitu reliqua facilè occurrent, verbaque provisam rem non invita sequentur. Hoc modo Cæsar quaternas amanuensibus dictabat epistolas, & ipse quintam de rebus gravissimis scribebat: Hoc Q. Hortensiꝰ causas quotidie perorabat: Hoc Theodectes, & Carmines semel auditas orationes comprehendebant, & recitabant: Hoc Portius Latro nunquam, quæ dicturus erat, ediscendi causa relegebat: edidiscerat enim cum scripserat: Hoc denique modo tu poteris cócionatoris concionantis verba, & argumentantis argumenta facilé percipere, cum uterque multis verbis non possit exprimere, quæ tu paucis imaginibus figurabis. Proderit tamen

men initio, ne perturberis, autoritates, & citationes omittere.

*Autorum citationes, qui sint comprehendendæ. Cap. XIX.*

M. QVomodo autorum citationes hac memoria comprehendemus? D. Facile, Omnes citationes ad tria quasi capita reducuntur, ad librum, ad nomen libri, & ad adjunctum libri. Quos libros magis volutamus, ac de quibus frequenter audimus, in bibliotheca nostra, sive cubiculo ordine collocabimus: singulorum figuras mente concipiemus, & eorum autores in eisdem locis figurabimus. Nomina librorum, grandium litterarum inscriptionibus distinguemus. Adjuncta, qualia sunt Caput, quæstio, distinctio, articulus, textus, lex, codex, paragraphus, &c. quæ pro scientiarum diversitate variantur, per imagines efferuntur. v.g. Si D.Paulus 1. ad Cor. cap. 7. sit afferendus, in dextra dabitur ei liber, in cuj⁹ superficie cor transfixũ hasta cõstituetur, & in sinistra gnomon, quo ipsa manus caput attingat, & sic ex imagine D. Pauli cum libro agnoscetur epistola, ex corde cum hasta, 1. ad Corinth.

Nam hasta numerum primum significat, ut habes cap. 13. Ex capite caput, ex gnomone. 7. Poterunt etiam adjuncta cætera per similes notas efferri, ut si autor libri, pro Titulo tangat tempora, pro ft. frontem, pro lege labra, pro numero nasum, pro distinctione dentes, pro autentica aures, pro glossa genas, pro lectione linguam, &c. M. Faciles videntur citationes, fient tamen usu faciliores.

*Quod memoria artificiosa exercitatione confirmanda sit. Cap. XX.*

M. SED age, habes nè plura de hac arte dicenda? D. Nulla, quia tu nihil aliud præcepisti. M. Id de industria feci: nolui enim omnia parata, quæsitaque tradere, primum ne quenquam ab industria, & inventione propria removerem: est enim suum cuique pulchrum: deinde ne longus multis, & injucundus essem; in voluntarijs præsertim cogitationibus, ubi quod mihi placet, alijs fortasse displicebit; ad extremum, ne doctoris fines transirem, cujus est docere quemadmodum quæri quidquam conveniat, non tamen omnia quasi pransa in os inserere. Omnes artis regulas docui, & exempla, licet pauca, subjeci,

ea

ea tu exercitatione confirma, quæ minimum valebunt, nisi studio, labore, diligentia, & industria roborentur, nam quicunque hac arte floruisse dicitur: Multa tulit, fecitque puer sudavit, & alsit, Abstinuit Venere, & vino. D. Id memini me apud Senecam legisse de Portio Latrone, qui ad studium concitatus jungebat noctibus dies, & sine intervallo sibi gravis instabat, nec desinebat, nisi cum defecerat. Quo labore improbo, & arte memoriæ tantum effecit, ut omnes declamationes suas, quascumq; dixerat, in promptu teneret: nec sibi chartis opus: dicebat enim se in animo scribere; & in nullo unquam verbo à memoria esse deceptum. Et tamen Seneca, quod tã mirabile videtur, & alia multo admirabiliora, memoriæ arti tradi confirmat. M. Scito igitur te jam hujus artis præcepta tenere., ac nihil præter exercitationem deesse. Si vis multa meminisse, multos tibi locos, quam maximè ad regulas accommodatos, mente habere, & in collocandis imaginibus exerceri quotidie convenit. Sed veniamus jam tandem ad individuam eloquutionis comitem, ut quintam Rhetoricæ partem absolvamus.

*De Pronunciatione. Cap. XXI.*

M. QVid est Pronunciatio? D. Vocis, vultus, & gestus moderatio cum venustate, quæ sola in dicendo maximè dominatur, cui Demosthenes primas, secundas, & tertias tribuit: & sine qua Orator, reliquis Rhetoricæ partibus optimè instructus, nihil prorsus efficiet: inventio enim obscuratur, dispositio invertitur, eloquutio friget, affectus languescit, nisi vox, vultus, & gestus inardescant. M. Qualis debet esse oratoris pronunciatio? D. Qualem natura ipsa præscribit. nam omnis artis observatio eò tendit, ut naturalem dicendi modum exprimat, quem qui probè fuerit assequutus nullis pronunciãdi præceptionibus indigebit; qui non, hæc studiosè legat, & facile tam pronunciationem, quam actionem vitiosam emendabit. M. Non sunt eadem pronunciatio, & actio? D. Ita multi opinantur, Ciceronis autoritate ducti, qui 1. de Inv. Pronunciationē vocis, vultus, & gestus moderatione cōstare dicit: in 2. de Oratore, Actionem, gestu, vultu, & vocis confirmatione, ac varietate moderari docet. Sed cum prior nomen à voce, sequens à gestis Quintiliano accepisse videatur, claritatis er-

go voci pronunciationem, gestui actionem tribuemus, quanvis uno pronunciationis nomine, actionem etiam in definitione complectamur.

*De Pronunciationis virtutibus.*
*Cap. XXII.*

M. QVas virtutes pronunciatio habere debet? D. Tres, ut Emendata, ut Dilucida, ut Apta sit, Emendata erit, si vox fuerit clara, & suavis, ac nihil absurdum, rude, immane, durum, rigidum, agreste, præpingue, tenue, inane, molle, aut acerbum habuerit. M. Hoc totum non est á natura petendum? D. Ita, verum arte, imitatione, cura, & exercitatione perpolitur, cujus rei testes duo eloquentiæ utriusque principes Demosthenes, & Tullius afferri possunt: quorum primus, cum ita balbus esset, ut (sicut Plutarcus in ejus vita testatur) lingua, & spiritu laboraret, nec litteram R, pronunciare posset, quibusdã calculis in os conjectis, R tandem pronũciavit, & in loco subterraneo quotidie vocẽ declamando exercens, naturæ vitiũ emendavit: vox enim usu fit suavior, ac firmior. Tullius verò in pronunciatione, & actione, non minus quam Demosthenes, laborasse dicitur

atq;

atq; ob id Roscio Comœdo, & Aesopo tragœdo studiosè operam dedisse: unde quod minus bellé naturaliter poterat, industria, & labore sibi comparavit. Dilucida erit pronunciatio, si litteræ neque exprimantur putidè, neque opprimantur obscuré: si neque dicendi celeritas defatigationem, neque tarditas tædium audientibus afferat: si nihil inflata voce arroganter, nihil diducta muliebriter audiatur: si oratio suis quasi articulis, & mēbris distincta fluat, ita ut orator incipiat, respiret, quiescat, & finiat, ubi oportet: aliter auditores attentionem, & intelligendi studiū prorsus remittēt. Apta erit, si talis vox emittatur, qualis fuerit animi motus exprimendus: cum enim alacritate, & lætitia vis auditores afficere, sit vox plena, simplex, & hilaris: cum in contentionem venis, erecta, totisque viribus, atque nervis intenta: cum exordiris, fateris, blandiris, satisfacis, rogas, placida, summissa, & levis: cum aliquid exponis, recta, & sedata. cum narras, vel amplificas, varia: cū suades, mones, polliceris, & cōsolaris, gravis: cum metuis, & verecundaris, contracta, & remissa: cum adhortaris, fortis: cum disputas acris: cum miserationem moves, flexa, flebilis, & interrumpta: cum denique affectus

alios

alios concitas, voces, ut nervi in fidibus, ita varientur, & sonent, ut ab animi motu pulsæ fuerint. M. Hæ vocis mutationes, & flexus quid faciant? D. Quid? ut ex animo res agi videatur, ut facietas vitetur, ut attentiō refi-ciatur, ut fides, & persuatio fiat, dummodo gestuum varietates illis cómodé respondeāt.

*De Gestu, ejusque varietate.*
*Cap. XXIII.*

M. QVid est gestus? D. Motus corporis, & vultus moderatio, qui pronuncianti maxime convenit. M. Quæ fugere, sequivé devemus, ut actio decora sit? D. Multa, sed eā brevi percurram, quæ à Tulio, Fabio, & usu à me diligentissimè animadversa sunt. Caput est in actione, sicut in corpore ipso, caput: quod, si ad pectus fuerit inflexum, humilita-tem; si supinum, arrogātiam, si in latus quod-libet inclinatum, languorem, & hypocrisim, si prædurum, ac rigidum, quandam mentis barbariem, ostendit. Sit igitur ita rectum, ut manibus, ac lateribus obsequatur, annuat, re-nuat, & confirmet: dubitationis, verecundiæ, admirationis, stomachi, aut indignationis af-fectus præseferat. Vultus, qui est tacita mētis

loquutio

loquutio, pro affectuum varietate, mutetur, nunc severus sit, aut indulgens, nunc lenis, aut asper, nunc erectus, & alacer, nunc summissus, & tristis nam

*Vt ridentibus arrident, ita flentibus adsunt*
*Humani vultus.* Quapropter *tristitia mæstũ*
*Vultum verba decent: iratum plena minarũ:*
*Ludentem lasciva: severum, seria dicta.*

Frons neq; feriatur, neq; corrugetur; sed trãquila sit, & serena. Oculi neq; in tectum, neq; in pavimentum, neq; in aliquem certum locũ stupidè figantur: sed ipsi motu intenti, remissi, superbi, hilares, torvi, mites, asperi, quemadmodum affecti simus, loquantur. Nares nec digito mundentur, nec rugis contrahantur, nec recepto aëre turgescant, nec subito spiritu excutiantur, nec manu resupinentur, & rarò, cum dicimus, emungãtur. Labra morderi, lambi, refricari, torqueri, astringi, porrigi, diduci indecorum est. Buccæ non inflentur: mentum pectori non affigatur, quod, aut venter prominere non debet. Humeri nec alleventur, nec contrahantur. Brachia non expatientur in latus, donec oratio affectibus vehemens incalescat: vel amplificatione perpolita redundet, atque efflorescat: nunquam tamen eorum instar, qui digladiantur, vel

cruci

cruci affiguntur, extendantur. Manus, ut potè loquacissimæ; poscant, polliceantur, vocent, dimittant, minentur, supplicent, abominentur, timeant, negent, &c. Nam sine illis omnis actio trunca est, ac debilis. Cavendum tamen, ne supra caput tollantur, aut infra pectus demittantur, aut palmę cum strepitu cōplodantur, aut diductis omnibus digitis, palma supina, instar stipem postulantium, aut ita compressis, ut si aquam è rivulo manus haurire vellet, protendantur: sed summo indicis articulo pollici juncto, cæteris modicé curbatis, manus dextera sensus incipiat, & finiat. Et ut ejusdem gestus perpetua repetitio, quæ nemini placet, varietur, dextra juvari poterit à sinixtra; dum hęc sola rarissimé gestum exhibeat. Omnes deniqúe corporis motus ejusmodi sint, ut offensionem vitent: totū namq́, corpus huc illuc identidem, leviterq́; movere, in latus inclinare, medium infringere, intra suggestum condere, ac subitò in sublime attollere, aliaq́; his similia totius corporis motu facere, non levis tantum, sed mentis inopis esse videtur.

(?)

*De his, quæ dicendi actum præcedunt.*
*Cap. XXIIII.*

M. VT facilius, quæ de pronunciatione, & actione dixisti, ad usum revocentur, dic mihi quomodo his, quæ dicendi actum præcedunt, optimé fungemur. D. In primis ita dicenda memoria tenebis, ut ea expeditè, sine ulla hæsitatione, dicere possis. Secus enim, cũ memoriæ diffidas, timidus nequid excidat, nullo in loco feré consistes, ac nihil distinctè proferes. Deinde voces tuæ quantitatem, qualitatem, & usum experiendo, te in pronunciando, & agendo per aliquot dies privatim exercebis, adhibito prudentũ amicorum judicio, ad quos, tanquam ad auditores veros, oratio, manus, oculi, vultus convertantur, & qui singula circunspiciant: vocem conforment: motus corrigant: os emendent: gestus notent, ac moderentur. Sic instructus, ac diligenter præparatus, alacri, & collecto animo, naribus, & pectore bene perpurgatis, quacumq; abjecta perturbatione, ad dicendum accedes. Et in suggesto constitutus, aliquandiu consistens, ut te colligas, & silentiũ fiat, non faciem refricabis: non articulos infringes: non comam rotabis: aut barbam demulcebis

mulcebis: non manus, aut trabes inſpicies: ſed hilari, modeſtoq; vultu, oculos hic illuc moderaré cõvertes, ut auditorium recognoſcas.

*De his, quæ in dicendi actu fieri debent.*
*Cap. XXV.*

M. IN ipſo dicendi actu, quid faciendũ eſt? D. Facto ſilentio, ſtans rectus, prolatis hinc inde in ſuggeſto manibus, ſine ullo earũ motu, temperata voce, ac leni pronunciatione, timidé, vel potius verecũdè, incipies: captabiſq; (ſi captanda eſt) benevolentiam, prævia perſonarum ſalutatione, aperto capite, & exhibita reverentia: hinc vox paulatim aſſurget, ac dextera primam, & ſequentes periodos leni motu terminabit. In propoſitione, & partitione ſedata pronũciatione, intervallis tamen diſtincta, uteris. Hic, & ubiq; manũ ad te referes, cũ de te loquaris; cũ de alio, ad eundem digitum intendes. Numeros, partes, ac diſtributionis membra digitis oſtendes, brachiaq; aliquantulum extendes. In Narratione, voce jucunda, feſtiva, leni, gravi, & varietate permixta opus eſt, ut quo modo quid geſtum ſit, eodem referatur. In Confirmatione augere, denſare, ac torquere vocis ſonum

cum clamore, atque acri actionis dexteritate oportet. Ea veró lege, ut vox ultra vires non urgeatur, & dignitas, ac modestia in omni motu magnopere observetur. Dedecet enim gravem oratorem histrionis personam agere, ut si lanistam ingentem gladiū ambabus manibus rotantem, vel citharœdum, digitis nervos impellentem, vel medicum ægroti venarum pulsum tentantem, vel senem tremula voce loquentem, vel militem gloriosum digladiantem, aut clipeo se protegentem, vel sagittarium ballistam ad sinistrum oculum, ut collineet, admoventem imitetur: & uno verbó, si, ut simiolus, actiones alienas, indecoré, ut alienas exprimat. Licebit tamen aliquando tribus digitis præssis, indice explicato exprobrare; stricto pugno percussoq; suggesto, voce aspera, & densa, brevi spiritu, ac respiratione crebra, turbato vultu, stomacho, & iracundia exardescere, ac vehementer succésere. In amplificatione verò, & epilogo, ubi affectus moventur, tam multiplex vox, tamq; varius gestus requiritur, quam ipsi affectus multiplices, & varij fuerint. Quare nullis præceptionibus externis instrui, sed varijs commotionibus internis illum affici necesse est, qui voces affectibus aptas, gestusque ido-

neos ad commovendos alios edere voluerit. Imitetur igitur viros non ab hominibus instructos, sed à Dei spiritu eruditos, vel passione aliqua commotos, quorum pronunciatio, & actio ab interiori commotione aptissimè pulsæ id efficiunt, quod nunquam Romani oratores dicendo efficere potuerunt.

*De his, quæ dicendi actum consequuntur.*
*Cap. XXVI.*

M. QVæ dicendi actum consequuntur? D. Paucissima, oratione namque absoluta, reverentiam auditoribus exhibēs addes illud tritum, & omnium oratorum consuetudine receptum, Dixi: é suggesto descendens à gratulantibus modestè declinabis, & te à detinentibus brevi expedies, ne te jucundis gratulationibus obtulisse videaris. Post, per amicos fideles, aliorum de te judicia conaberis intelligere, atque illa usu, & exercitatione perficies, quæ viris prudentibus, & eruditis placuerunt: quæ verò non probarunt, in posterum emendabis, & corriges.

(?)

### *Peroratio brevis ad discipulos.* *Cap. XXVII.*

M. SI quis hæc omnia, quæ in nostris hisce dialogis præcepimus, opere præstiterit, Deo auspice, naturaque, duce, eximiam dicendi facultatem brevi comparabit: Eloquentiæ veró palmam, cum ardentibus optimarum artium studijs fuerit instructus, varia doctissimorum autorum lectione assuefactus, multò imitandi, & scribendi usu præditus, assequetur. Agite igitur, studiosi juvenes, pergite quo cæpistis: jacta sunt eloquentiæ fundamenta firmissima: arduum quod nimis est, ac difficile jam estis fæliciter consequuti: artis præcepta percepta nunc, & cognita memoria tenetis, quibus poteritis acutè, ac citò reperire: distinctè, atq; ordinatè disponere: ornaté, ac suaviter dicere: firmè, ac perpetuò meminisse: graviter, atque venusté pronúciare: reliquum Deo gratum, vobis jucundum, omnibus honestum, & salutare posthac persequimini: egregios oratores vobis ad imitandum proponite, crebris vos exercitationibus ad omnem dicendi varietatem, copiam, & gravitatem præparate. ex humanæ, divinæq; sapientiæ thesauris magnum rerum, ac senté-

tiarum apparatum depromite: quantum conniti animo potestis, quantum labore contendere, tantum facite, ut hoc Eloquentię studio dignam de vobis expectationem concitatam in dies singulos augeatis: nec ulla vos terreat difficultas: difficilima enim generosis animis facillima videri solent, cum præmia sibi proponunt amplissima, quæ vos, & vivi, & mortui, si ardentem sapientis, & ornatæ orationis facem obscuris rebus intuleritis, facilè consequemini: vivi enim, eloquentiæ auxilio, in senatu vigebitis: in foro regnabitis: in cōsultationibus dominabimini: in bello vincetis: in oratoris munere triumphabitis: ubiq; valebitis: Christi legatione fungentes omnes docebitis, delectabitis, atque movebitis. Mortui veró, immortale nomen apud homines consequuti, (qui vos vestraque pro merita grata memoria prosequentur) in Cælestes orbes evolabitis, ubi sempiterno ævo perfruemini.

(?)

LAVS DEO, OPT. MAX.

# AVTORVM
# ELENCHVS,
## QVOS VIDI, LEGI, PERlegi, & ex quorum multis multa didici, aut aliquid mutuatus sum ad hos dialogos conscribendos.

Adrianus Barlandus, de Amplificatione Oratoria.
Alexander Picolominus Arist. Paraphastes.
Alphonsus Garcia Matamoros, de tribus dicendi generibus, ac de Methodo concinnandi.
Andreas Semporius, de Methodo oratoria.
Antonius Mancinellus in Ciceronis Rhetoricam, & libros de Inventione.
Antonius Palmirenus in Ciceronem, de claris oratoribus.

Chri-

Christophorus à Vega, de memoria naturali.
Claudius Pontanus in Rhethor. ad Hereniũ.
Cyprianus Suarez Societatis I E S V, de Arte Rhetorica.
Conimbricenses, de Memoria.
Conradus Celtis, epitome in utramque Ciceronis Rhetoricam.
Cornificius, de Rhetorica, quæ Ciceroni tribuitur.
Cosmus Rosellius, de artificiosa memoria.
Daniel Barbarus in Rhetoricam Aristotelis.
Demetrius Phalereus, de Eloquutione.
Des. Erasmus Roterodamus, de Duplici copia verborum, ac rerum.
Dionysius Longinus, de Principatu inter oratores.
Fabius Quintil. de Institutionibus oratorijs.
Franciscus Bécius é Societate Iesu, de Stylo.
Franciscus Maturantius, in Ciceronis Rhetoricam, & in libros de Inventione.
Franciscus Moulæus, de artificiosa memoria.
Franciscus Petrarcha, de Memoria.
Franciscus Sanctius Brocensis, de Inventione, ac memoria locali.
Georgius Casander, Tabulæ Rhetoricæ.
Georgius Resch, de Memoria.
Georgius Sibuti, de Memoria locali.

Geor-

Ioan-

Ioannes de Santiago Soc. Iesu, de arte Rhet:
Ioannes Segoviensis, de modo concionandi.
Ioannes Rombetch, de Chyrspe, Congestorium artificiosæ memoriæ.
Ioannes Baptista Porta. (
Ioannes Petrejus Toletanus, in ( Rhetoricæ progymnasmata, (de Memoria.
Ioannes Roechlin, (
Ioannes Surgan, (
Ioannes Visorius in Topica Ciceronis.
Iulius Cæsar Scaliger, parasceve.
Iulius Rufinianus, de figuris.
D. Isidorus Arch. Hispalensis, de Rhetorica.
Lambertus Schenchelius, Compendium artis memoriæ manu scriptum.
Laurentius Guillielmus, de Memoria.
Laurentius Palmirenus, de arte dicendi.
Ludovicus Carro, de Eloquutione oratoria.
Idem de quæstionibus oratorijs.
Ludovicus Granatensis, de Rhet. Ecclesiastic.
M. T. C. de Invent. de claris oratoribus, de optimo genere oratorum, de oratore:
Ejusdem Rhetorica, Partitiones, Topica.
Marcus Ant. Maioragius in dialogū de Partitionibus oratorijs, in primum de Oratore ad Q. Fratrem, in oratorem ad Brutum, & in tres Aristotelis libros de Rhethorica.

F I N I S.

# RERVM, ET

## VERBORVM NOTATU dignorum, quæ in hisce dialogis continentur, alphabeticus index copiosissimus.

*In quo numerus paginam: p, illius principium: m, medium: f, finem commonstrat.*

## A



*Actionis*

# INDEX.



R Am-

*Anadi-*

# INDEX.

# INDEX.

# INDEX.



# B



Bene

# INDEX.

Divisio

Ges-

# INDEX.

# INDEX.



*Inten-*

# N



Nar-

Per-

## INDEX.

Pro-

Syl-

# INDEX.



T Sub-

INDICIS FINIS.

Anicio